DE VITA ET SCRIPTIS

CONRADI CELTIS PROTUCII

PRAECIPUI RENASCENTIUM
IN GERMANIA LITERARUM RESTAURATORIS
PRIMIQUE GERMANORUM POETAE LAUREATI

OPUS POSTHUMUM

B. ENGELBERTI KLÜPFELII

O. S. A. THEOLOGI FRIBURGENSIS

AUCTORITATE CONSISTORII ACADEMICI FRIBURGENSIS

EDENDUM CURAVIT

JOANNES CASPAR RUEF

JUR. DR. MAG. DUCI BADEN. A CONSIL. AUL. JURIS ROM. PROF. P. O.
ET BIBLIOTHECAE ACADEMICAE PRAEFECTUS.

EDITIONEM ABSOLVIT

CAROLUS ZELL

PHIL. DR. LITERARUM GRAECARUM ET LATINARUM PROF. P. O.

PARS PRIOR.

FRIBURGI BRISGOVIAE
IN LIBRARIA WAGNERIANA.
MDCCCXXVII.

MEMORIA

B. ENGELBERTI KLÜPFELII

Quamquam, qui ingenii sui doctrinaeque praeclara et nunquam interitura posteris monumenta reliquerunt, ad illustrandam stabiliendamque nominis sui famam vitae scriptoribus, laudumquae praeconibus haud indigeant: fic tamen fere a natura comparati sumus, ut, quorum doctrinam admiramur, eorum quoque res gestas, et qua ratione tales evaserint, penitius nosse cupiamus.

Nemo proinde mihi vitio dabit, quod in animum induxi, beati *Engelberti Klüpfelii*, Augustiniani ordinis coenobitae ac Theologi Friburgensis, quem non modo haec *Albertina*, nuuc *Alberto-Ludoviciana*, litterarum Uuiversitas velut decus suum atquc ornamentum singulare impense semper coluit, ac suspexit, sed et per universam Germaniam judices aequi et intelligentes inter aetatis nostrae theologos, religioni catholicae adscriptos, si non principatum, certe honestissimum dignitatis gradum tenuisse, uno omnes ore fatentur, hujus, inqnam, viri, et morum integritate, et exquisita eruditione praecellentis vitam ac labores, fide optima, et genere dicendi casto quidem, quantum licet, at simplici, et a pigmentis oratoriis alieno enarrare, atque huic praestantissimo ejus operi praefigere. Ita plane non solum operae pretium, sed rem etiam gratam atque utilem me facturum esse existimavi, tnm illis, qui eadem litterarum studia tractant, in quibus vir celeberrimus, dum in vivis agebat, dies noctesque elaboravit; tum maxime his, qui eo magistro aliquando usi, vel

saltem ad ductum librorum, quos de disciplinis theologicis edidit, instituti sunt, aut hodieque instituuntur, id est magna pars eorum, qui munera sacra nunc obeunt, aut deinceps obibunt.

Natus est *Klüpfelius* noster anno MDCCXXXIII., die XVIII. Januarii *Wipfeldae* apud Ostrofrancos, pago ad dextrum Moeni littus, *Wirceburgum* inter et *Schwinfurtum*, amoeno loco a vineis et circumjacentibus sylvis, claro statis per annum nundinis; sed magis illustri *Conradi Celtis*, qui primam ibi lucem aspexit, incunabulis. Cum sacris undis ablueretur, impositum ei fuit *Joannis Andreae* nomen. Parentes habuit honesto genere ortos, probos et integerrimae famae, *Michaelem Klüpfel*, et *Dorotheam Pfriemiam*. Pater, etsi litterarum studiis se haud dederit, calligraphus tamen erat, et arithmeticae artis admodum peritus; egitque aliquamdiu scribae munus *Arnsteinii* apud *Cellerium*. Ita apud Francos praefecti appellantur, qui ruri judicia exercent, lites dirimunt subditorum, et commoda curant sui Principis. Redux in patriam, senatorio ordini adscriptus, paulo post auctus est munere *telonarii*, constitutus a Principe, quod quidem ea, qua par est, fide obiit plus annos triginta. At neque ex senatoris, neque ex telonarii munere tantum rediit, quantum satis esset numerosae familiae, quam habuit, sustentandae. Ex vinearum itaque cultura potissimum comparavit, quo ipse suique alerentur. Ex filiis sex alios aliis destinavit vitae institutis. *Josephum* et *Andream*, hunc ex fratribus natu minimum, deputavit studiis litterarum. Septennis, quoniam in loco natali non erat ludimagister Latinae linguae gnarus, Herbipolim mittitur, fratrique natu majori, *Josepho*, tum rhetorices ibidem studioso, et ingenii atque doctrinae laude cum primis certanti, in disciplinam traditur, qui eum primis litterarum elementis imbuit. Ab illo tempore fratrem, utpote qui pueritiam ejus formaverat, parentis loco semper habuit. *) Decem annorum puer litteris humanioribus in gymnasio Herbipolitano operam dare coepit. Finito curriculo scholastico, cum egregiam quotannis laudem reportasset, ad philosopiam adjunxit animum, cujus metam cum intra biennium feliciter attigisset, de vitae genere deligendo deliberavit. Homini litterarum et solitudinis amanti maxime arrtdebat vita mo-

*) Ejus vitam descripsit *Klüpfelius* in Necrologio pag. 220. sqq.

nastica. Itaque instituto *Augustinensium* eremitico *) aggregatus est, et (an. 1750.) coenobio, quod *Herbipoli* erat, filius adscriptus. Monachi vestem induit *Oberndorfii* ad Nicarum, expletoque tirocinio, solemnibus votis se obstrinxit (an. 1751.) Mutato nomine jam dictus *Engelbertus*, superiorum jussu *Friburgum Nuithonum* abiit, ut ad societatis Augustinianae normam philosophicas disciplinas in scholis domesticis recoleret. Sed quem hic nactus erat magistrum, discipulus superare videbatur, unde leves contentiones ortae, quae ansam dederunt, ut ille loco moveretur, huic ad prosequenda philosophiae studia *Erfordiam* migrandum esset. Enimvero non commemoratione solum, sed summa laude dignum est et imitatione, quod, qui opinionibus inter se dissentiebant, adeo non disjungerentur animis, ut deinceps perpetuo litterarum commercio firmarent amicitiam, et mutuis se obsequiis juvarent, ornarentque, quod certe erecti animi et singularis modestiae atque humanitatis in utroque erat argumentum. Jam ad theologiae studium transire oportebat. Inchoavit illud noster in hujus civitatis coenobio (an 1754.), alteroque jam anno publice disputans praeclara doctrinae specimina praebuit, *Constantiae* dein (an. 1756. mense Aprili) sacerdotio inauguratus, per biennium filum studii theologici ibi continuavit, perfecitque.

Ita paratus et idoneus ad obeunda munia, cum exspectaret, quibus negotiis a proceribus esset adhibendus, patriae redditur, et in gymnasio *Münnerstadiensi*, quod tum Augustinianorum curae fideique concreditum erat, erudiendae juventuti admovetur. Nihil ei neque acceptius optatiusque, neque etiam opportunius utiliusque poterat evenire. Ab eo enim tempore veteres auctores, veros illos et puros omnis sapientiae et eloquentiae fontes, assidue tractando et interpretando, non solum recte, eleganter, suaviter de rebus singulis dicendi facultatem sibi comparavit, sed animum etiam, quo non minus, quam ingenio homines sumus, ad omnem humanitatem virtutemque magis magisque excoluit. Prospere obtigit illi in hac sparta sodalis et collega, idemque gymnasio praefectus, *Possidius Zitter*, vir graece et latine doctus, e cujus contubernio

*) *Eremitas* eos vacat *Alexander* Papa IV. in bulla confirmationis an 1256., cum reapse *coenobitae* sint. *Klüpfelius* se *coenobitam* perpetuo appellavit.

et consuetudine se plurimum profecisse, ingenue confessus est, ut pro certo affirmari possit, in hac vitae suae parte *Klüpfelium* fundamenta jecisse, quibus vastum postea eruditionis aedificium superstruxerit. *Münnerstadii* quinquennio in puerili institutione exacto, *Oberndorfium* missus est, ut Augustiniani sodalitii alumnos philosophiam doceret. Id per biennium cum praestitisset, tentaminis caussa publicam paravit disputationem, primumque doctrinae specimen, iucubrationem edidit, qua sententiam *Thaletis*, aquam corporum esse principium, stabilire conatus est. Paulo post ad theologiam inter suos tradendam, *Moguntiam* primum, deinde *Constantiam* ablegatur, ubi an. 1767. assertiones theologicas ad disceptandum publice proposuit, quas discipuli ejus in magno doctorum hominum consessu scite adeo strenueque propugnarunt, ut magister quoque magnam sibi adscisceret existimationem, laudemque apud suos jam diu partam plurimum augeret, confirmaretque.

A duobus jam seculis, et quod excurrit, *Jesuitae* omnes fere Catholicorum scholas et litterarum quoddam monopolium sensim occupaverant, unde effectum est, ut et praeclaram suo ordini doctrinae famam colligerent, et auctoritate valerent plurimum, non solum apud imperitum vulgus, sed etiam apud homines nobilitate et rerum cognitione conspicuos, quippe quorum ipsi omnium ingenia finxerant, animosque reddiderant quasi beneficiis sibi devinctos et obnoxios. Nunquam tamen deerant viri cordatiores, quibus ea, qua Jesuitae utebantur, perversa et praepostera docendi ratio valde displicebat. Comprimis improbabant multi methodum theologiae cum *dogmatico-scholastico-speculativae*, tum *casuisticae* tradendae, cujus utriusque barbariem ipsa appellatio prae se fert. Et profecto eo fere progressa erant theologorum studia, ut in agro theologico pro semente bona non sereretur, nisi infelix lolium, et juventus pro frugibus optatis non meteret, nisi urticas, zizania sterilesque avenas. Quod cum intellexisset *Maria Theresia*, bonarum artium fautrix et restauratrix augustissima, lege sancivit, ut in omnibus academiis theologiae professores ex aliis societatibus monasticis, potissimum ex *Augustinensium* et *Dominicanorum* coetu *Jesuitis* adjungantur, quo tironibus integrum esset, quos vellent, sibi magistros deligere. Usa est ea in re optima Princeps potissimum consiliis *Simonis Ambrosii de Stock*, ecclesiae cathedralis Viennensis Canonici et rei theologicae in Austria directoris, viri genere, doctrina, virtute praestantis, ad

extremum episcopi *Rosonensis* in Hungaria. *) Itaque in mandatis datum est Ordinis Augustiniani praepositis, ut virum huic muneri obeundo parem nominarent. Primum destinarunt *Jordanum Simon;* **) deinde, cum is, valetudinis imbecillitatem caussatus, onus subire nollet, fausto sidere Sacrae Majestati obtulerunt *Engelbertum Klüpfelium,* qui sine cunctatione probatus, ad diem XV. Dec. anni 1767. doctoris theologiae nomine ac insignibus in hac Albertina decoratus est, et ad XVII. ejusdem mensis praelectiones theologiae *Augustiniano-thomisticae* solemni oratione exorsus.

Eam rem quam graviter et moleste tulerint *Jesuitae,* qui sibi soli sapientes videbantur, aliosque omnes prae se despicere solebant, me etiam non monente facile quivis arbitrabitur. Optime perspectos habebat eorum mores *Klüpfelius*, nec poterat, cum *Friburgum* peteret, aliud sibimet praesagire aut exspectare, nisi parem cum iis fortunam, quam ante ipsum experti erant, quotquot doctrinae Augustinianae se addixerant, *Cardinalis Norisius, Christianus Lupus, Fulgentius Bellellius, Joa. Laur. Berti,* aliique viri ex Augustinensium familia doctissimi. Cum itaque *Engelbertus* sequenti statim anno (1768. 4. Aug.) theses quasdam *de statu naturae purae impossibili* publice proposuisset, protinus litem ei intendit accusator acerrimus, *Franc. Xav. Waldner* e S. I. professor theologiae speculativae primarius, qui, quam de natura pura *Klüpfelius* tuebatur, sententiam *novam* atque *in tenebris traditam* esse, palam pronunciavit, et postea in dissertatione *de divinae gratiae beneficiis a debito vindicatis* non dubitavit scribere: hanc de natura pura quaestionem minime ἀδιάφορον, sed vere *dogmaticam* esse, neque sententiam Augustinianam a *Bajana* et *Janseniana haeresi* discrepare. Sed hanc plenam invidiae et temeritatis criminationem, emissa lucubratione *de eximiis dotibus naturae humanae ante peccatum,* argumentis solidissimis confutavit *Klüpfelius*, in eo maxime laudandus, quod, rectae mentis conscientia nixus, non tam, quid accusatorem oporteat audire, quam quid accusatum loqui deceat, prae oculis habendum esse existimabat, cavebatque sedulo, ne stili acrimonia verborumque

---

*) Vid. *Klüpfelii necrol.* pag. 28. sqq.
**) Vid. ibid. pag. 38. sqq.

acerbitate adversarium ullibi offenderet. Paulo post caussa a supremo Senatu, qui ad regenda litterarum studia *Vindobonae* constitutus erat, probe cognita, et ad aequitatis lancem exacte ponderata, *Klüpfelius* ab omni erroris nota immunis declaratus; calumniator contra solum mutare, et in aliud collegium abire jussus est, societatis Jesuiticae patribus ad exitum adeo inopinatum frustra ringentibus.

Verumtamen quemadmodum nihil est, quod primis statim conatibus ad summum adducatur, ita negari nequit, hac duplici disciplinarum theologicarum tractatione afflictis theologiae rebus nondum satis fuisse consultum. Quamquam enim hac via *Jesuitarum* auctoritas elevari paulatim coepisset, et cumprimis illa pestis et corruptela morum, *probabilismus*, cujus illi caussam summo studio egerant, si non frangi, at saltem debilitari: justam nihilominus habere reprehensionem hoc ipsum videbatur, quod alia theologia statueretur *Augustiniana* et *Thomistica*, alia *Molinistica*, aut quovis alio nomine appellanda. Etenim si apud omnes Catholicos in confesso est, in rebus theologicis doctrinam sanam unice ex fontibus divinarum scripturarum, ex Conciliorum ecclesiasticorum decretis, atque ex effatis, *non singulorum*, sed *omnium* Ecclesiae Patrum hauriendam esse: utique difficile est ad intelligendum, quo pacto plures una theologia, aut plures theologorum sectae potuerint in eadem ecclesia emergere. Et profecto res ipsa docet, diversas hasce theologorum familias non nisi de otiosis atque inanibus quaestiunculis, quas, ex metaphysicorum officinis depromtas, in theologiam invexerant homines male feriati, plerumque decertasse, quin aliquid utilitatis vel ad ipsas scientias theologicas, vel ad earum studiosos exinde redundaret. Nihil enim agunt, qui illud in lucro ponendum censent, quod primum auditores, quas a magistris acceperant, contrarias opiniones, inter se conferrent, et de rebus controversis graviter disceptarent; mox Professores ipsi, in publicis congressi disputationibus, sententias suas rationibus comfirmarent undique conquisitis, atque ita docentes aeque, ac discentes exercerent ingenia, et intelligendi aciem utcunque exacuerent. Nihil, inquam, agunt, qui ita subducunt rationes. Praeterquam enim, quod hujusmodi pugnae parum laetos minimeque fructuosos plerumque exitus habuere, et post longas altercationes neque *Jesuitae*, ut a ducibus suis, *Vasquesio*, *Suaresio*,

Molina rel., neque *Augustiniani, Dominicani, Franciscani,* ut a suis, *Augustino, Thoma, Duns Scoto* vel latum unguem discederent, sese adduci passi sunt; erant illis scholasticae subtilitates et controversiae, quae neminem doctiorem efficiebant, in tanto pretio, ut illis enucleandis multo majorem, quam dogmatis Christianae religionis praecipuis et capitalibus demonstrandis operam impenderent. Quae vero insania est, in tanta rerum discendarum multitudine, tantaque vitae humanae brevitate, neglectis his, quae in arte et disciplina qualibet optima ac necessaria sunt, difficiles nugas agere, et docere ea, quae non nisi in spem oblivionis addiscuntur; in theologia maxime, quae et sua ipsius amplitudine rerumque gravissimarum abundantia ita excellit, ita aliarum scientiarum, comprimis linguarum et historiae ecclesiasticae atque litterariae notitia sustinetur, ut omnibus, qui in illa aliquantum proficere velint, toto pectore in eam incumbendum sit, nec vacet, ad cerebrosa sophistarum commenta et futiles ineptias descendere, iisque aut oppugnandis, aut defendendis tempus industriamque perdere. Sed manum de tabula, ne quis mihi denuo exprobret, quod saepe objectum est, de rebus theologicis et ecclesiasticis olim disserenti, me, hominem profanum, falcem immittere in alienam messem. *)

Quam vera et gravia haec sint, nemo melius cognitum et exploratum habebat *Klüpfelio* nostro. Verum oportebat eum initio servire tempori, et sententias opponere sententiis, suasque pro viribus tueri, ne aut imperitus parumque idoneus obeundo professorio muneri, aut excors videretur. Accedit huc, quod ei jam non esset integrum, tacere, postquam adversarius opinionem mere scholasticam tanquam mercem putidam traducere, ac veneno haereticae pravitatis infectam infamare non erubuit. Utique ab eo tempore coeperunt Jesuitae vereri hominem, suorum utpote doctissimo cuique parem. Tantum vero aberat, ut *Klüpfelius* secunda fortuna insolesceret, ut potius occasionem, adversarios suos provocandi, defugeret sollicite, pacemque et concordiam, quantum poterat, servaret.

---

*) Nesciebant scilicet, me non solum *Philosophiae Magistrum, Juriumque Doctorem,* sed etiam, quod ex actis theologicis Friburgensibus commonstrari potest, *SS. Theologiae Baccalaureum* esse, eumque *biblicum et formatum!* — Absit invidia!

Sed jam adventaverat dies fatalis, quae universo Jesuitarum ordini uno quasi ictu finem exitiumque afferret. Qua quidem repentina conversione omnium animi inter spem metumque mirifice tenebantur suspensi. Plerique plagam mortiferam omni litterarum generi mox infligendam divinabant, quae vix ac ne vix quidem percurari unquam possit. Contra non pauci, acutius videntes, conjecturis laetioribus ducebantur, et scientiis antiquam gloriam pristinumque splendorem quasi postliminio restitutum iri, praenunciabant. Comprimis bene sperabant de instaurandis et reformandis studiis sacratioribus, cum Jesuitas in terris Austriae a cathedris theologicis plane exulare jussos intelligerent. *Klüpfelius* certe ea de re magnopere laetabatur, non quod jam adversarios non haberet; — Quid enim ipsi porro ab his metuendum erat? — sed quod optime prospiceret animo, aliter illud sectarum studium, magnasque illas scholasticorum nugas e scholis sacris eliminari, aliter suam theologiae ipsique religioni dignitatem ac majestatem redire non posse.

Haec cum in votis haberet, et optima quaeque speraret *Klüpfelius*, serio jam cogitabatur *Vindobonae* de maculis, quibus delendis ipsa docentium pervicacia adhuc obstiterat, a theologia penitus abstergendis. Gravissimo omnium negotio Regina et Imperatrix sapientissima prae ceteris praesidere jussit *Franciscum Stephanum Rautenstrauch*, Abbatem Braunaviensem in Bohemia, virum non minus ab eruditionis praestantia et subtilitate judicii, quam animi candore morumque innocentia laudatissimum, qui curas omnes et cogitationes eo intendit, ut, rejectis et contemtis, de quibus antea diximus, ineptiis, disciplinae theologicae novam melioremque formam induerent, et felicius quotidie efflorescerent. Eos inter, qui strenuum antiquioris puriorisque doctrinae assertorem ac vindicem studiis ac laboribus suis adjuvarent, facile tum excellebat *Klüpfelius*. Etenim jam altero post abitum Jesuitarum anno, inito cum *Rieggero* et *Dannenmayero* foedere initium dedit edendae *novae bibliothecae ecclesiasticae Friburgensi*, in qua novi quique libri, ad religionem et ecclesiam ullo modo pertinentes, vocarentur ad examen, candidoque notarentur calculo, si fuerint melioris luti; nigro autem θῆτα insignirentur, si deterioris, suo quique merito aestimandi. Cujus quidem instituti non alius erat, neque praeclarior esse poterat scopus, quam, quemad-

modum ipsi auctores in praefatione ad fascic. IV. voluminis I. indicant, *pellere barbariem et ignorantiam, quae disciplinas ecclesiasticas passim occuparat; promovere sacratiores litteras; adjuvare rem theologicam; excitare torpentia ingenia; bonis denique prodesse omnibus.* Habuit sane res, apud nos ad id tempus praeter consuetudinem nova, successus optatissimos, et exspectatione adeo majores. Aequi rerum aestimatores et in arte critica exercitatissimi, inter Catholicos aeque, ac Protestantes, primos statim bibliothecae foetus honorificis prosecuti sunt elogiis. Depraedicabant libertatem in ferendis absque partium studio censuris, rerum varietatem et copiam, monitorum ac praeceptorum gravitatem, stili denique puritatem et elegantiam. Praecipue autem *Vindobonae* inceptum non assensionem modo, sed etiam approbationem laudemque meruit eam, ut clementissima Imperatrix primum sumtus editoribus, si forte indigerent, jusserit repraesentari, deinde ab omni eos censorum judicio exemerit. Quo felici successu calcar addebatur *Klüpfelio* ad alacriter prosequendum opus, quamvis socii, qui initio symbolas aliquot contulerant, resiluissent, negotiorum majorum copiam, otiique inopiam causati, eoque omnis moles ad ipsum devolveretur, ut jam aliunde conquirendi essent adjutores, quos inter comprimis, quem supra nominavi, *Possidius Zitter*, antiquus laborum comes, fidelem deinceps navavit operam. Cum hac ratione usque ad a. 1783. VII. volumina, quorum unumquodque IV. fasciculis constat, foras dedisset, *) et litterarum Latinarum fastidium atque ignorantiam videret magis magisque crescere: coronidem imponere statuit operi, quod primis praesertim annis fructus protulit uberrimos, et cujus lectio hodieque theologiae cultoribus commendanda est, unde non solum optimorum librorum notitiam sibi comparare, sed etiam judicandi de rebus theologicis facultatem augere, omninoque animum ad prudentiam pastoralem informare valeant.

Enimuero nemo existimet, *Klüpfelium* nullos invenisse studiorum suorum obtrectatores. Quando enim unquam defuere homines, aut adeo fastidiosi, ut nihil fere ipsis placeat, quam quod ipsi faciunt; aut tam invidi et

*) Vol. I. Friburgi. Satron. 1775. Vol. II. III. IV. Ulmae. Stettin. 1776. 1777. 1779. Vol. V et VI. Friburgi. Wagner. 1780. 1781. Vol. VII. Fasc. I. et II. ibid. Satron. 1783. Fasc. III. et IV. Ulmae Stettin. 1799. 8.

superbi, ut optima quaeque arrodant et damnent; aut denique priscis moribus, ita assueti, ut *turpe putent, quod imberbes didicere, senes perdenda fateri?* *) Itaque, ut hoc exempli causa afferam, non nulli ex Catholicis vitio ei verterunt, quod scriptores Protestantium in bibliotheca ecclesiastica moderatius atque indulgentius fere tractet, quam suos. Quam quidem querelam in praefatione IV. voluminis ita refellit: „Quis, inquit, improbaverit jure, si cum hospitibus, „qui communionis nostrae non sunt, agimus mitius, quam cum domesticis „fidei? Quis nescit, multa licere in amicos, familiares, indigenas; quae si faceres in hospitem, peregrinum aut alienigenam, inhumanus videreris, vel audires barbarus?"

Alia, eaque graviori molestia anno 1776. affectus est ab ipsis *Friburgensibus*. Erat is annus, ut vocant, *jubilaeus*, quo plenissima noxarum poenarumque expiatio et condonatio obtineri posse creditur. Circumferebatur libellus: *Gründlicher Unterricht, wie das Jubilaeum zu gewinnen sey etc.* ab episcopo, quod inscriptio indicabat, approbatus, atque usu communi frequentatus praecedentibus jubilaeis. Prius tamen, quam typis recuderetur, demandatum erat *Klüpfelio*, judicium de illo ut ferret, Censoris Regii, tum absentis nomine. *Klüpfelius*, qui omnium optime noverat, in nulla alia re majorem adhibendam esse diligentiam et cautionem, quam in libris, qui publica auctoritate firmati omnium manibus teruntur, ut catechismi, rituales et liturgici, pessimeque agere, qui, quae a catholicis scriptoribus versari in utramque partem salva fide et possunt, et solent, tanquam firmissima proponunt catholicae religionis documenta, censuram tulit, ut germanum theologum decet, et alia emendanda, alia delenda esse putavit, quod non satis consentirent cum purioris theologiae principiis. Ea res fecit, ut prelo libelli, quem vulgus emptnriebat, poneretur remora. Hinc nata sunt adversus censorem murmura, criminationes, convicia. Clamabant palam, falsa docere virum, fideique opposita. Cum prodiret in publicum, digitis monstrabatur, ejusque aures circumsonabant vocibus: *Ecce Martinum Lutherum, ecce indulgentiarum osorem, haereticum!* Succinuerunt multitudini e doctorum numero, qui vel

*) *Horat.* epist. II. 1. 85.

obcaecati ignorantia, vel ducti affectibus aliis illaudatis, ignem igni, aut oleum camino addidere. Cum omnia in fermento essent, ceteris hujus tragoediae spectatoribus mutis, quod timerent plebem: solus *Rieggerus*, seditiosae multitudinis nil veritus iras, neque curans doctorum indoctorum artes aut sophismata, caussae melioris, sed paene desperatae, patrocinium in se suscepit, atque in senatu regio, quo res delata fuerat, eum disseruit in modum, ut, qui cum vulgo senserant, edocerentur meliora. Unde brevi factum est, ut factionis duces conticescerent, paulatimque mitescerent concitatae plebis animi; eaque ratione, *Riegger i* opera, tempestas illa, si non depulsa penitus, sopita certe fuit. Hanc omnem historiam totidem fere verbis narrat *Klüpfelius* in *necrol.* pag. 139. sq. et addit: „Nunc vide, benevole lector; miram rerum „conversionem. Quod ante suspectum erat, aut paene haereticum, nunc am„plectuntur, et laudant utroque pollice, et commendant magna consensione „omnes, quicunque irata Minerva nati non sunt; ut diebus nostris paucos „invenias, quibus vetus illa vappa adhuc allubescat. Ita opinionum commenta delet dies!"

Omnium vero gravissima accusatio erat, quam *legatus Regis Borussiae* apud ipsam aulam Viennensem intentavit *Klüpfelio*, tanquam injuriarum reo, quod ausus esset, in *biblioth. eccl. Friburg.* (vol. I. fasc. I. pag. 154. sqq.) librum *Jo. Sal. Semleri*, percelebris Halensium professoris, inscriptum: *Institutio ad doctrinam Christianam liberaliter discendam, auditorum usui destinata* (Halae Magdeb. Hemmerde 1774. 8. m.) carbone notare, velut opus ad evertendam Christi religionem malis avibus in lucem protrusum. Equidem *Semlerum* vasta et multiplici eruditione, reconditaque antiquitatis, praesertim ecclesiasticae, cognitione, nostra memoria vix habuisse parem, nemo ibit inficias, qui libros ejus historicos, inprimis *historiae ecclesiasticae selecta capita* (Halae M. 1767 — 1769 3 voll. 8.) aliosque pervolverit. At vero eundem novimus controversiae, de canone sacrae scripturae, librorumque symbolicorum auctoritate, inter Protestantes vehementer agitatae, auctorem satoremque praecipuum extitisse, quippe qui pro certo, et velut axiomatis instar sumebat, etiam in rebus ad religionem pertinentibus novis semper studiis, investigationibus et inventis locum esse; intellectum enim humanum indies perfici, et nobis hodie

longe plura atque meliora, quam veteribus ecclesiae Doctoribus suppetere critices subsidia, eamque ob rem multa, crassis olim tenebris circumfusa, in pleno jam lumine esse collocata, aut deinceps collocanda. Non defuere ex ipso Protestantium choro theologi plures, qui in arenam descenderent cum *Semlero*, ejusque conatibus graviter resisterent, velut *Reussius* Tubingensis, *Knittelius* Brunsvicensis, *Pideritius* Cassellanus, *Goetzius* Hamburgensis, *Schmidius* Wittenbergensis, ut omittam censores Gottingenses, Ienenses, Biitzovienses, alios. Etsi vero *Semlerus* etiam hos suae confessionis asseclas impudenter satis lacessivisset, ferocissime tamen irruit, omneque acerbitatis virus evomuit in *Klüpfelium*, usus praeterea sermone vernaculo, ut non solum litteratis, sed etiam multitudini palam fieret, quo spiritu agatur. Is furor eum invasit sine dubio, quod intelligeret, ipsos censores ex Protestantium coetu magnopere laudasse et commendasse catholici Doctoris judicium, et in patriam adeo linguam translatum suis ephemeridibus adjunxisse. Sed nihil commotus neque hinc conviciis, neque illinc assensionibus, non nisi leves querelas homini irato opposuit *Klüpfelius*, atque ut pergeret, quam ingressus erat, viam, plures ad *Semlerum* epistolas per intervalla dare decrevit, quibus et adversarii errores refellere, et veritatem justitiamque latae de placitis ejus censurae confirmare adniteretur. Itaque bibliothecae suae inde *a vol. II. fascitc. II.* usque ad *vol. V. fascic. III.* inseruit epistolas hujusmodi numero XIV. bene longas, nec minus ponderosas. Attamen neque hanc *salutem plurimam*, neque hoc *vale*, *iterumque vale* adamabat theologus Halensis; quin potius omnem nunc movebat lapidem, ut bibliothecae Friburgensi ejusque auctori extremam inferret cladem, invocato, ut diximus, praepotentum auxilio. Sed frustra erat; omnia periclitando et agendo nihil demum egit, nihil profecit, caussam *Klüpfelii* suscipiente *Rautenstrauchio*, qui *Semlerianae* accusationis petulantiam et vanitatem ea detexit fide et sagacitate, ut Augustissima Domina *nostrum* non solum culpae omnis expertem, sed etiam de vera religione optime meritum pronunciaret, aureoque (an. 1780.) donaret numismate, ut benevolentiae ac liberalitatis Principalis certissimum ei monimentum extaret. De cetero satis inter omnes constat, quas nostra aetate, facem praeferente *Semlero*, theologia Protestantium dogmatica subierit mu-

tationes, tales siclicet, quales, rejectis libris symbolicis, non posse non evenire, abhinc annis amplius quadraginta *Klüpfelius* et *Dannenmayerus*, uterque noster, praesagiebant, ille in *commentatione historica, sistente Lutheranorum novissimorum dissidia de canone divinarum scripturarum* (Constantiae. 1780. 8.); hic in *historia succincta controversiarum de librorum symbolicorum auctoritate* (Friburgi Br. eodem anno. 8).

Eundem veritatis assertorem strenuum, bonaeque caussae defensorem se exhibuit *Klüpfelius* in lite *Wiehrliana*, quam utpote satis notam et pervulgatam paucis exponam. *Badenae* an. 1780. *Martinus Wiehrlius*, clericus *Spirensis*, et in scholis *Badensibus* philosophiae Professor, typis excudendas curaverat theses ex philosophia practica decerptas, quae adeo displicuere celsiss. Episcopo *Spirensi*, ut eas *scandalosas* esse, et *catholicorum dogmatum morumque puritati contrarias* declararet; *Wiehrlium* autem ipsum inhabilem denunciaret *philosophicis* disciplinis *Badenae* diutius tradendis; aptiorem docendae *theologiae* in seminario episcopali *Bruchsaliensi*, quo ei migrandum esset. Serenissimus Marchio, Carolus Fridericus, ne scholae Badenses suo professore orbarentur, omninoque, ut, quid rei subsit, certius intelligeret, theses *Wiehrlianas* subjecit academiae *Friburgensis* judicio. Antistes autem *Spirensis* easdem censurae *Heidelbergensium* et *Argentinensium* theologorum catholicorum submittendas putavit. Academiae *Friburgensis* Ordines bini, philosophicus nempe et theologicus, responderunt: in thesibus reperiri nihil, quod catholicae fidei decretis repugnaret. Addidere, theses easdem tradi in academiis *Austriacis*, et librum *Federi Goettingensis*, unde depromptae sint, in scholis catholicis passim commendari laudarique. Longe aliter statuebant *Heidelbergenses* atque *Argentinenses*, qui dictas theses non dubitarunt pronunciare *respective falsas, injuriosas, juri naturae et revelationi contrarias, perniciosas, et* — ut reliquas notationes praetermittam — *proximas haeresi, imo haereticas.* Theses autem, quas tam atrocibus censuris percellendas esse judicarunt, erant potissimum septem, easque inter omnium minime concoquere poterant primam: *Selbstliebe ist der einzige ursprüngliche Grundtrieb des Menschen;* et quartam: *Zeitliche Güter verachten, wenn man sie rechtmässiger Weise haben kann; sie verschwenden, wenn man sie besitzt, ist allemal pflichtwidrig.* Hanc ultimam *Argentinenses* sim-

pliciter haeretiam dixere, quae *Heidelbergensibus* duntaxat *haeresin sapere* (!) visa est. Inde bellum exortum est litterarium, et utrinque vehementer pugnatum, editis notis, animadversionibus, confutationibus, vindiciis, aliisque scriptionibus, et scriptionum collectionibus, quas omnes recensere, neque vacat, neque hujus loci est. *) Id adnotasse sufficiat, nostris non solum *Goettingenses* sua sponte, *Schloezerum* inprimis et *Federum*, sed etiam sententiam rogatos *Pragenses, Fuldenses et Salisburgenses* fuisse adstipulatos. Postremo etiam Sacra Congregatio Indicis Romana non aliam legem imposuit *Wiehrlio*, quam ut, ad tollendam verborum ambiguitatem, thesium, quae suspectae habebantur, explicationem et emendationem Romae factam amplectatur, eique subscribat. Atque ita ab armis sensim discessum est, cum abunde patesceret, verissime scripsisse Abbatem *Rautenstrauchium* ad illustrem *Seubertum*, Serenissimo Marchioni a rebus ad Principem referendis (vulgo Referendarium), hujus caussae prudentissimum moderatorem: „Quisquis fuerit a studio partium „alienus et sinceritatis amans, atque *Wiehrlianas* theses in controversiam ad„ductas intellexerit, quo modo eas intelligendas esse auctor voluit, haud diu „haesitabit: cui potissimum sententiae accedendum sit. Judicium philosophicae „et theologicae Facultatis *Friburgensis* a praeoccupatis opinionibus libe„rum, religioni aeque ac rationi innixum, assensum facile extorquet „intelligenti cuique, atque probo viro, confirmatque famam illius „academiae.“ Quamvis autem judicium philosophicum aeque ac theologicum *Friburgense* utriusque collegii consensu et approbatione proditum sit, in eo tamen conficiendo et vindicando potissimum elaborarunt inter philosophos claris. *Sauterus*, tunc philosophiae, post juris ecclesiastici Professor, inter theologos autem praeter *Klüpfelium Dannenmeyerus*, Professor historiae ecclesiasticae, qui an. 1786. Viennam accersitus, ibidem diem supremum obiit 1805. His Illviris memorem gratumque animum Princeps Serenissimus, omniumque virtutum laude cumulatissimus, non

*) Totam rei seriem enarravit, scriptaque ab utraque parte edita recensuit omnia *Klüpfelius* in *nova bibl. eccles. Frib.* vol. VI. fasc. II. p. 272. fasc. III. p. 487. et fasc. IV. p. 718. sqq.

solum litteris significavit humanitatis plenissimis; sed missis etiam insignis et pretii et elegantiae muneribus comprobavit.

Praeter eas, quas hactenus allegavimus, theologici argumenti lucubrationes, plures per intervalla edidit vir industrius, quas paucis enumerare libet: 1) Christus Dominus sacerdos secundum ordinem *Melchisedech.* Friburg. 1772. 4. 2) *Joa. Laur. Berti* Erem. Augustin. ex campis Elysiis de victrici delectatione ad *Joa. Nep. Schad* Can. reg. epistola. Neap. (Aug. Vind.) 1772. 8. 3) Diss. theologica de precibus pro defunctis. Friburgi. 1773. 4. 4) *Tertulliani* mens de indissolubilitate matrimonii infidelium altero converso. In *Rieggeri* oblectamentis historiae et juris eccles. P. I. Ulmae. 1776. 8. 5) Diss. hist. theol. de libellis Martyrum. Frib. 1777, 8. 6) Vindiciae vaticinii Isai. VII. 14. de Emmanuele. Frib. 1779. 8. 7) Vetus bibliotheca ecclesiastica. Vol. I. Pars prior. Frib. 1780. 8. 8) Sammlung bischöfflicher Verordnungen und Hirtenbriefe, welche seit 1780. besonders in Deutschland erschienen sind, zur Aufklärung der Kirchengeschichte. Strasburg. (Rastadt) 1786. 8.

Veumtamen omnibus hisce, quae ingenii ejus doctrinaeque praestantiam loquuntur, documentis palmam praeripiunt *Institutiones theologiae dogmaticae,* quas primum an. 1789., iterum emendatas an. 1802. et tertiis curis emendatiores an. 1807. juris publici fecit.*) Aegre quidem, quemadmodum ipse in praefatione fatetur, ad id scribendi genus accessit; sed parere oportebat Superiorum nutibus. Etenim cum imperante JOSEPHO *II.* munus docendi theologiam dogmaticam, quo hactenus duo professores defuncti erant, ad professorem unum restringere visum esset, et de viro circumspiceretur, qui justum unoque anno explican-

*) Vindob. ed. I. apud Joa. Paul. Krauss, II. et. III apud J. G. Binz. 2 voll. 8. maj. In compendium redactae a *Cajetano Geist*, presbytero seculari, quondam theologiae profess. cet. ibid. prodierunt an. 1804. — Quartis curis recognitas dedit. *Gregorius Thomas Zieglerus*, antea Professor dogmatices Vindobonensis, nunc Episcopus Tenicensis. Viennae ap. J. G. Binz. 1821. 2. voll. 8. maj. — Is autem in omni opere, maxime in prolegomenis, plus dimidio auctioribus, eas molitus est mutationes, ut *Klüpfelius*, si in vitam rediret, suammet theologiam vix cogniturus esset. Quapropter recte fecit *Zieglerus*, quod prolegomenis alteram addidit epigraphen, qua, omisso *Klüpfelii* nomine, se eorum auctorem professus est.

dum theologiae compendium adornaret: nemo repertus est huic negotio magis idoneus *Klüpfelio*. Is itaque, ut solebat, alacriter se accinxit operi, cumque illud intra biennium feliciter perfecisset, et praemium laboris tulit, et egregiam laudem collegit ab aequis rerum theologicarum aestimatoribus. Commendant omnes elucentem ubique modestiam, sobrietatem, doctrinam exquisitam, rerum aptam dispositionem, argumentorum pondus et perspicuitatem, sermonis denique puritatem et elegantiam, ut jam mirum non sit, has *Klüpfelii* Institutiones in plerisque Catholicorum academiis docentium et discentium usibus inservire, atque instar normae ac regulae esse. Non possum mihi temperare, quin ex iis, quae *de mutua dissidentium tolerantia*, sacratiorum litterarum studiosis nunquam satis inculcanda, *Proleg.* §. 102. doctissimus noster idemque humanissimus Theologus scripsit, non nulla huc transferam. „Id, quod Christus ex naturali jure repetit *Matth.* „7. 12. *Omnia, quaecunque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis,* clare „evincit, oportere nos esse pacificos, mites, benevolos erga eos, quos errare „in fidei aut religionis dogmatis judicamus. Quodsi enim nos degeremus in „terris infidelium, aut eorum, qui a communione nostra, quantum ad sacra, „sejuncti sunt: idem beneficium cuperemus nobis ab illis amanter impendi, „qui nos errare putant, ut nos ipsos. *Apud nos sunt haeretici*, inquit *Sal-* „*vianus* in libro *de gubern. Dei, apud se non sunt. Nam in tantum se catholicos* „*esse judicant, ut nos ipsos titulo haereticae appellationis infament. Quod ergo illi* „*nobis sunt, hoc nos illis. Veritas apud nos est; sed illi apud se esse praesumunt.* „*Errant ergo, sed bono animo errant, non odio, sed affectu Dei, honorare se Domi-* „*num, atque amare credentes.* Qui ignem de coelo advocandum esse putarunt „Apostoli, ut corriperet *Samaritanos* incredulos, reprehensi a Christo fuerunt, „zeli intempestivi gratia. *Nescitis,* inquit Salvator *Luc.* 9, 55. 56. *cujus spiri-* „*tus estis: filius hominis non venit, animas perdere, sed salvare.* Meliora edocti „a divino magistro, ut patet ex eorum epistolis, spirabant ubivis caritatem, „mansuetudinem, patientiam et pacem erga omnes. Huc spectant maxime „dicta *Rom.* 14, 3. *sqq.* 15, 7. *Gal.* 6, 2. *Eph.* 4, 3. *Philipp.* 3, 14. 15. — „Quam vehementer optamus, ut uno modo Deum colant omnes; tam longe „absumus ab improbandis eorum consiliis, qui praeclarum ducunt, aut opus

„laude dignum reputant, cogere homines vi, terroribus, armis, metu ad „amplectendam religionem, haud recte intelligentes verba Christi: *Com„pelle intrare.* Facit enim vis et metus hypocritas, non veros Christia„nos. Identidem cogitandum est, fidem esse donum Dei, neque intellectum „posse cogi, sed esse convincendum propositis idoneis ac efficacibus argu„mentis. Horret animus, dum recogitat carnificinam, cui superioribus se„culis traditi fuere, qui convinci de veritate sacrorum dogmatum nequibant. „Sed nolumus jam refricare illa vulnera. — Statuimus itaque, nedum „christiani nominis cultores quosvis e coetibus quibusvis familiarum christi„anarum; sed etiam eos, qui a Christo alieni sunt, Judaeos nimirum, Gen„tiles, Mahometanos, ac omnis generis incredulos fraterne tolerandos esse, „candide amandos, amiceque complectendos, atque adjuvandos pro re nata, „exhibitis omnis generis caritatis humanitatisque officiis; pro ipsorum con„servatione ac salute, majoreque rerum divinarum cognitione preces ad Deum „fundendas, quemadmodum christianae leges praescribunt *Luc.* 10, 29. *sqq.* „*Rom.* 12, 18. *Hebr.* 12, 14." Hae igitur praeceptiones jam ubique regnant in catholicorum scholis, ut iniquus profecto, ne dicam, calumniator foret, qui, contrarias nobis affingeret. — Accedit praeterea ingens huic operi pretium, quod auctor cuilibet dogmati succinctam ejus historiam adjecit, et praecipuos ubique recensuit cum veteris, tum recentioris aevi scriptores; contra de minutis inanibusque disceptationibus, quae neque pertinent ad summam religionis, neque quidquam utilitatis habent, parcissime locutus est, contentus, breviter indicasse, quid inter scholasticos in controversiam veniat, nihil ultra definiens. E. c. *Lib. I.* §. 17. „Sentiat quisque, „et amplectatur id, quod judicaverit, vero esse propinquius. In quaestioni„bus hujusmodi, quae modum attinent, aut scholae controversias, sinitur „quisque in suo sensu abundare." *Ibid.* §. 18. „Cui haec responsio non „satisfacit, cogitet, agi de quaestione: *quomodo*, scholis relinquenda." *Rursus* §. 22. „Affirmant id alii cum *Tournelio*, alii cum *Bertio* idem „negant. Arbitror, superfluam esse quaestionem, quod pertineat ad regnum „possibilium, quod ingredi nolumus." *Et* §. 25. „In quo consistat haec „Dei beatitudo, fatemur, nos ignorare, qui neque eam satis intelligimus,

„neque, ut par est, declarare possumus." Sed omnium gravissime §. 60. sqq. cum de praedestinationis decreto: utrum illud *absolutum* sit, an *hypotheticum*, varias variorum sententias exposuisset: „Quam vero cunque, inquit, „ex his opinionibus adoptaveris, caveas, ne de ea sentias magnificentius, „ut in circulis aut pro concione vendites, quasi veritatem indubitatam; „neque committas, ut sententia duriore populum turbes; aut doctrinam „oppositam superciliose judices, imprudenterque damnes, laesis prudentiae „et charitatis legibus cet." Ita sane theologiam a quisquiliis et sentibus pro viribus purgare conatus est. Pro viribus, inquam. Neque enim theologis nostris licet, cancellos egredi, quos ipsis, arctos admodum, circumscripsit synodus Tridentina, et quos ultra citraque negant consistere rectum *). Ceterum sicubi non obstabat ecclesiae, infallibilis scilicet, definitiva constitutio, prono animo usus est Noster relicta sibi sentiendi libertate. Ita compertum habeo, libellum, quem *vol. VII. fasc. III. pag. 103—112. bibl. eccl. Frib.* recensuit, inscriptum: *Mens Concilii Trid. de episcopi et presbyteri differentia. Coloniae Munatianae, 1780. plagg. 5.* in 8. plane nunquam extitisse, sed a *Klüpfelio* pia quasi fraude, eoque fine fuisse confictum, ut suam ea de re

*) „Summa nostrae religionis pax est et unanimitas. Ea vix constare potest, nisi de, „quam potest, paucissimis definiamus, et in multis liberum relinquamus suum cuique „judicium, propterea, quod ingens sit rerum plurimarum obscuritas, et hoc morbi „fere innatum sit hominum ingeniis, ut cedere nesciant, simul atque res in „contentionem vocata est; quae postquam incaluit, hoc cuique videtur verissimum, „quod temere tuendum susceperit. — Olim fides erat in vita magis, quam in articulorum „professione. Mox necessitas admonuit, ut articuli praescriberentur, sed pauci et apostolicae sobrietatis. — — Creverunt articuli, sed decrevit sinceritas; efferbuit contentio, „refrixit charitas. Doctrina Christi, quae prius nesciebat λογομαχιαν, coepit a philoso„phiae praesidiis pendere: hic erat primus gradus ecclesiae ad deteriora prolabentis. „Accreverunt opes, et accessit vis. — Tandem res deducta est ad sophisticas conten„tiones; articulorum myriades proruperunt. Hinc deventum est ad terrores et minas. „Quumque vita nos destituat; quum fides sit in ore magis, quam in animo: tamen tor„toribus huc adigimus homines, ut credant, quod non credunt, ut ament, quod „non amant, et intelligant, quod non intelligunt." Ita graviter non minus, quam vere *Erasmus Rot.* ante Concilium Trid. praefat. in *Hilarium.*

sententiam (episcopos non jure *divino*, sed mere *humano*, presbyteris esse superiores) exquisitis rationibus stabiliret. — Sed et illud fatendum est, virum bonum non nunquam palam fecisse, quantum valeat *Augustini* apud *Augustinianum* auctoritas. Velut cum de infantibus sine baptismo decedentibus (bibl. eccl. Frib. vol. VI. pag. 251.) sermo esset, scribere non dubitavit: „Equidem inculcanda non est ea sancti *Augustini* doctrina (ejusmodi „infantes flammis addici sempiternis), tanquam certum et eliquatum fidei „catholicae dogma; at proponenda tamen est tanquam talis, quae haud levibus „sit innixa momentis, quaeque antiquae ecclesiae Patres, atque insignes theo„logos defensores habeat." Quasi vero Patres inter multa egregia, non etiam valde absurda interdum docuissent. Paulo ante dixerat: „Majorem „profecto foetuum suorum curam e matribus plures gererent, si de limbo, aut „beatitudine infelicium id genus infantum vana opinione delusae non essent." Verum quid boni sperare liceat a matribus, quae dura adeo et inhumana ejusmodi opinione opus habent, ut ne natura sibi insitum, et quasi visceribus infixum erga partus suos amorem, curamque abjiciant?

Vix absolverat *Klüpfelius* has *theologiae dogmaticae institutiones*, cum novum laborem suscipere jussus est, et *Francisci Giftschütz institutiones theologiae pastoralis*, theodisco sermone scriptas, latine vertere eorum gratia, quibus Latina lingua familiarior est nostra, *Hungarorum* puta et *Polonorum* *). Ea enim florebat laude stili exercitati et luculenti, ut etiam eloquentia valens, et praeclarae facundiae orator haberetur. Cum itaque an. 1777. *Josephus II. Friburgi* dies aliquot commoratus, etiam Professoribus sui videndi atque salutandi copiam fecisset, atque singulos affatus, neminem non rapuisset in admirationem amoremque sui, neque tamen vellet, ut sibi sumeret quisquam, quod vel speciem solennis apparatus, aut pompae prae se ferret: tam necessarium, quam grave erat Musis *Friburgensibus*, in tanta omnium laetitia silere; brevi autem post discessum moderatissimi Caesaris non poterat grata animi sensa continere diutius *Albertina* nostra, suamque erga *Augustissimum* observantiam palam contestata est panegyrico, quem ejus

*) Prodiit Viennae 1789. P. I. II. 8.

nomine dixit *Klüpfelius* *). Idem interpres fuit incredibilis insolitique luctus, quem infinitae hominum multitudini attulit obitus *Mariae Theresiae*, Principum omnium optimae, omniumque maximae; interpres potissimum acerbissimi maeroris, quo nos omnes affligebamur ob ereptam nobis Matrem nostri amantissimam, quae huic litterarum Universitati non modo beneficia praestitit, totius Monarchiae Athenaeis reliquis communia; sed favore eam peculiari est complexa **). Utramque hanc orationem, Latio sermone exaratam, et verbis et sententiis fuisse ornatissimam, vix opus erit monere. Illud etiam omnino dignum est animadversione, eloquentiae adjunctam fuisse in *Klüpfelio* poeticam facultatem, quam peritis *elegia de urbe Brisacensi* (1793.) *deleta* praecipue probavit ***).

Neque est silentio praetereundum, quod *Klüpfelius* an. 1798 ex decreto et sententia ordinis theologici congessit, *Responsum Facultatis theologicae Friburgensis de veritate sacramentorum, quae jurati sacerdotes in Alsatia ministrant cet.* pag. 32, in 8. sine mentione loci. Ansam huic operi dedere quaestiones et dubia, a decano quodam Cisrhenano nomine Capituli proposita, cum permulti Alsatae trajecto Rheno ad nos venirent, a sacerdotibus dioecesis Constantiensis sacramenta percepturi, eo quod ea valide confici a juratis, praesertim matrimonio junctis, non posse sibi persuadebant. Nostri autem theologi, sacerdotes juratos esse veros ac legitimos pastores, idoneos functionibus quibuscunque sacerdotalibus non solum valide, sed etiam licite obeundis, argumentis comprobarunt firmissimis, et, quae huic sententiae objici poterant, solide refellerunt, illud comprimis, quod non pauci in contrarium afferebant, juratos adeo non pro ministris genuinis agnosci a summo Pontifice, ut is potius cuivis, qui cum ipsis aliquod in sacris commercium esset habiturus, abscissionem a coetu fidelium editis bullis comminatus sit. Expedita enim est

*) Panegyricus *Josepho II.* Rom. Imperatori nomine Musarum Friburgensium Ann. MDCCLXXVII. dictus ab *Engelberto Klüpfelio.* Frib. Br. fol.

**) Oratio in obitum *Mariae Theresiae*, Romanorum Imperatricis, cum Academia Friburgensis diebus 16. 17. 18. Januarii 1781. eidem solenniter parentaret. Frib. fol.

***) Elegia de Urbe Brisacensi deleta, et adhortatio ad Germaniam, Constantiae, 1794. 4.

ad hoc responsio: Pontificem severiores illas litteras mox abinitio turbatae per novas leges ecclesiae Gallicanae emisisse; postea vero, cum videret, parum se aut nihil proficere, remque indies ruere in deterius, ultro cessisse, minisque terruisse contentum, a proposito destitisse. Ita enim Pontificem loquentem introducunt viri venerabiles: „Ex quo summi Pontificatus apicem con„scendi, nihil prius habui, quam ut eam beati *Pauli* sententiam sequendam „mihi ducerem: *Ad aedificationem, non ad destructionem* dedit mihi potestatem. — „Neque aliud mihi erat in animo, cum minacibus litteris tentarem, ab„sterrere eos, qui inflammati novandi studio, publico seculorum usu re„ceptam, regumque sancitam legibus disciplinam ecclesiasticam, mutare „subvertereque machinabantur. At cum conatus nostros in irritum cadere „animadverterem, illique praeter exspectationem rerum potirentur, mearum „partium esse duxi, cedere, veritus, ne pertinaci constantia si pergerem, rei „christianae damnum infligerem irreparabile. Carerent sane nunc et in „posterum Gallicanae ecclesiae pastoribus necessariis, a quibus verbum Dei „excipere, et sacramentorum refici pabulo christianum populum oporteret. — „Bonum est equidem, mota manu populo in genua provoluto benedicere; „fructuosum est, ministrare ecclesiae sacramenta; vere autem apostolicum „atque sacerdotale munus est, salutari doctrina multitudinem ad mentem „moresque Christiano dignos adducere, veramque pietatem animis mortalium „inserere. — — Probe novi, quid sit de electionibus episcoporum, con„firmatione pontificia et missione, quibus in negotiis res omnis olim non „redierat, nisi ad *litteras communicatorias*. Non sum nescius, agi de *juribus* „*adventitiis*, quae sublata volunt. Quidni lubens patiar id, quod petunt? „Decedant non nulla de dominatione, aut commodis meis: modo gloriae „Christi atque animarum lucro inde accedat aliquod incrementum. Quodsi „redeo ad feliciora illa primitivae ecclesiae tempora, quae fasti ecclesiastici „referunt: luculenter intelligo, praecipuos dominici gregis duces, in sacris „praecipue synodis, non nisi lenitatem paternamque charitatem spirasse, „ut *Petri et Pauli* pectus retulisse videantur. Horum ego sanctissimorum „Patrum inhaesurus vestigiis etc." Verum satis de libello, quanquam rebus admodum gravi, mole tamen exiguo; satis etiam superque ad judi-

candum, quo tum spiritu animati fuerint theologi *Friburgenses*, quos honoris causa nomino. Erant praeter *Klüpfelium*, Seniorem, *Ferdinandus Wanker*, Professor Theologiae moralis, id temporis Decanus, *Carolus Schwarzl*, Prof. Theologiae pastoralis, *Josephus Schinzinger*, Prof. historiae ecclesiasticae, *Leonardus Hug*, Professor lingg. Or. herm. et antiqq. In consilium adhibitus est *Joseph. Petzeck*, Prof. juris eccles. et ad appellationis tribunal Consiliarius. — Unum addo: Utinam ea, quae Pontifici hic tribuitur, mente, vere apostolica, vereque christiana, reipsa praediti essent, semperque fuissent episcopi, si non omnes, saltem plerique, sive Romae, sive Eugubii degentes *). At quis nescit, quantum repugnet, nuntia vetustatis, historia.

Talis erat *Klüpfelius* noster ingenio, doctrina, meritis in litteras: ita totam prope vitam *discendo docendoque* consumsit. At virtutes ingenii, utut maximas, ab *animi* virtutibus in eo superari, id omni laude majus est. Insignis erat cum primis ejus adversus Deum pietas, nulla ostentatione fucata, factis magis, quam specie et verbis se proferens, totiusque vitae moderatione et aequabilitate. Integer vitae scelerisque purus, re nulla a recto officiorum virtutumque tramite poterat dimoveri. Germanae prorsus fidei et antiqui moris, sincerus et candidus, ab assentatione servili aeque ac fallacia alienus, pacis amans, fugiensque litium, neque elatus in rebus secundis, neque in adversis dejectus. In sermonibus ipsius omnia digna vero Christiano, qui sapientiam divinam tot per annos exercuisset. Solitudinis amans, raro pedem efferebat domo, nisi in scholam, et hortulum, quem habebat non procul ab urbe situm. De vita monastica quid senserit, abunde prodidit cum in *bibliotheca ecclesiastica* multis locis, tum in *necrologio*, velut cum laudat abbatem *San-Petrinum*, *Philippum Jacobum Steyrer*, quod memor sapientis dicti: *Monasteria oportet esse non solum religionis, sed et ingenuarum artium domicilia*, nihil prius habuerit, quam ut praeter pietatem

*) Ubicunque fuerit episcopus, sive *Romae*, sive *Eugubii*, sive *Constantinopoli*, sive *Rhegii*, sive *Alexandriae*, sive *Tanis*, ejusdem meriti, ejusdem est et sacerdotii. S. *Hieronymus* ap. *Gratian. dist. 93. can. 24.*

etiam scientias inter suos modis omnibus foveret, augeretque *). Quamvis igitur vestem monasticam dudum deposuisset, nunquam tamen a sodalibus suis digressus est, nihilque remisit de pristina severitate, parcus in cultu et vestitu, et ciborum vinique temperantissimus; at tanto officiosior in amicos, tanto benignior et liberalior in pauperes; quos et vivus juvabat, et mortuus, legato hortuli sui pretio. Auditores suos, diligentes scilicet et bene moratos, in sinu gestabat, facilis et indulgens etiam tardioribus, solos illos non satis ferebat, qui ad inscitiam adjungerent impudentiam, et ostentarent doctrinam, in qua ne mediocritatem quidem attigissent.

His ingenii animique virtutibus clarus multorum sibi benevolentiam, amicitiam et amorem conciliavit. Jâm an. 1780. Episcopus Herbipolitanus, *Franc. Lud. B. ab Erthal*, Princeps in commodum studiorum sapientiae natus, et Μουσαγέτης generosissimus, qui nullis parcebat sumtibus, ut ad suum Athenaeum pertraheret viros ab ingenii fama et doctrinae exquisitioris opinione commendatos, *Klüpfelio* nostro in Francica Musarum sede cathedram theologicam desponderat honestissimis conditionibus. Poterat igitur professor Friburgensis sedem domesticam, qua nihil jucundius, poterat coelum, sub quo natus et educatus erat, revisere, atque omnia secunda sperare. Verum reluctabatur, quemadmodum ipse postmodo confessus est, arcana quaedam vis, ne caperet lucrum tam honorificae invitationis. Quaenam vis illa? In terris Austriacis maximam vitae partem egerat feliciter, expertusque erat favores hominum praestantissimorum, et paulo ante ipsius Imperatricis Reginae; vicit igitur in viro humanissimo sensus gratitudinis blandum

*) *Necrol.* pag. 147. sq. Addit *Klüpfelius*: „Neque enim compellendi sunt, quicunque „monachorum claustris tenentur, ut piis duntaxat meditationibus et coelestis „doctrinae intelligentiae se totos tradant, et in eo solum studio ad obitum usque „consenescant. Non enim Deus frustra humanis mentibus tam diversas affectiones, „quasi quaedam semina, naturaliter inseruit, quibus fit, ut hoc illove doctrinarum „genere prae aliis capiantur alii. Est itaque et ordinationi divinae conveniens, et „honorificum monastico ordini, ac conducibile ad decus et augmentum scientiarum, „si pro facultate quisque sua id litterarum genus tractandum sibi sumat, quod magis „allubescit, et ad quod suapte natura fertur.“

amorem soli patrii, neque ei permisit, sese divellere ab hujus Albertinae complexibus. At novennio post (an. 1789.) nova se illi praebuit occasio, res suas fortunasque amplificandi, cum a *Josepho II.* ad cathedram theologiae *Vindobonensem* expeteretur. Videri poterat haec vocatio viam ei munire, aditumque parare ad majora et lautiora munera. Habebat enim in provincia sibi oblata antecessores duo, *Augustinum Gervasio*, et *Josephum Bertieri*, quorum ille ad episcopatum *Gallipolitanum*, hic ad *Comensem* ascenderat. Verum haec tantum aberat, ut incitarent, allicerentque *Klüpfelii* animum, ut multo magis absterrerent. Vitae assuetus solitariae, abhorrebat a strepitu magnarum urbium, et refugiebat circumvolitare limina potentiorum, vanisque tempus consumere salutationibus, ratus, sedeculam quietam, quod *Cicero* alicubi monet *), saepe praeferendam sellae curuli, et patriam esse, ubicunque est bene, et esse bene in *Brisgaudia*. Ita nobis servatus est gaudentibus vehementerque laetantibus. Etenim suspiciebant ac venerabantur eum collegae omnes, illi maxime, quorum ipse vitam ac merita in pagellis *necrologicis* non tam depinxit, quam delineavit: *Wilhelmus Wilhelm*, theologus; *Ge. Car. Staravasnig*, medicus; *Theodosius Perger*, theologus; *Philippus Steinmeyer*, philosophus et mathematicus; *Franciscus de Benedictis*, historicus; *Stephanus Hayd*, theologus; *Josephus Petzek*, Ictus. Inter familiarissimos et quasi domesticos autem numerabat *Franciscum Josephum Lippium* **), *Josephum Anton.*

---

*) *Epist. ad Att. IV. 10.* „Sic litteris sustentor et recreor, maloque in tua illa *sedecula*, „quam habes sub imagine Aristotelis, sedere, quam in istorum *sella curuli.*"

**) Patria erat Friburgensis et in hac Albertina botanices professor, botanicis notissimus tum ab *herba Lippiana*, tum ab ἐγχειριδίῳ βοτανικῷ, quod tanquam specimen inaugurale vulgavit Vindob., cum medicinae doctor renunciaretur. (an. 1766, Trattner, 8. maj. cum. fig.) Praematura morte abreptus est an. 1775, cui si per fata licuisset, vitam protrahere longius. *Flora Brisgoica*, in qua ornanda amplificandaque totus erat, laetiora sibi polliceri et exspectare merito potuisset. Saepe ei *Klüpfelius*, et ipse cultor historiae naturalis, comes fuit, cum ille vicinos Friburgo montes ascenderet, colligeretque, quidquid natura parens rarum insolitumque offerebat.

de Riegger *), *Nicolaum Willium* **), et *Matthiam Dannenmayr* ***), ut collegas ei superstites silentio praeteream.

Sed etiam apud exteros, eosque cum dignitatibus conspicuos, tum eruditionis fama illustres gratia et auctoritate valebat plurimum. Ipse laudibus extollit favores, obsequia, et promtam bene de se merendi voluntatem *Fr. Lud. L. B. ab Erthal*, Episcopi et Principis Bamberg. et Wirceburg.; *Sim. Ambros. de Stock*, canon. eccles. metropol. Viennensis et Episcopi Rosonensis, *Joh. Andr. Fahrmann*, proepiscopi Wirceb.: *Martini Gerberti*, Abbatis et Principis San-Blasiani; *Mariani Müller*, Abbatis et Principis Einsidlensis; *Chr. Franc. Car. de Eberstein*, praepositi eccles. cathedral. Basil.; *Franc. Steph. Rautenstrauch*, Abbatis Braunav. in Bohemia, et studii theolog. per Austriam directoris; *Philippi Jacobi Steyrer*, Abbatis ad S. Petrum; *Michaelis Fritz*, Abbatis St. Mergensis. His accedunt *a)* inter *Clericos seculares*: *Mich. Ign. Schmidt*, historiae German. scriptor celeberrimus; *Michael Denis*, consil. aulic. et bibliothecarius Viennensis, et ipse editis scriptis clarissimus; *Ant. Joh. Rosshirt*,

*) Unus omnium, ut supra indicavimus, qui caussam *Klüpfelii*, in suspicionem heterodoxias adducti, suscepit, fortiterque est tutatus, Professor in hoc *Friburgensi*, deinde *Pragensi* Athenaeo, editis multis et variis operibus celebratissimus, atque omnino de Albertina nostra immortaliter meritus, et ipse magister quondam meus, patronus ac Maecenas, cujus de laudibus, si ita dicere vellem, uti dignus est, atque ipse sentio, longior mihi explicanda esset oratio, quam hic locus capit.

**) Is Friburgi primum linguas Orientales, deinde polemicen, patrologiam et historiam theologiae litterariam explanavit, postea Rectoris munus sustinuit in recens erecto seminario generali, quo soluto Consiliarii regii in referendis caussis ecclesiasticis partes agere in provincia anterioris Austriae perrexit, postremo ornatus dignitate *Scholastici* in cathedrali ecclesia *Linciensi* apud superiores Austrios, quamquam nunquam illuc concesserit morbo impeditus diuturno, et demum morte praeventus, vir optimus, quem *Klüpfelius* in *necrologio* (pag. 291) et in *praefatione* ad *Celtem* suum, appellat *Pyladem, ad obitum usque in amicitia perseverantissimum.*

***) Historiae ecclesiasticae, scriptorem praeclarum, jam supra laudatum, quem ego quoque, prius quam Viennam abiret, fidelem consiliorum laborumque meorum cum *Santero* socium habui et adjutorem, charum caput, cujus memoria nulla temporis longinquitate ex hoc animo effluet.

oooo

professor theol. Wirceb. *b)* inter *Benedictinos*: *Aemilianus Ussermann*, San-Blasianus, professor Salisburg.; *Gottfrid. Lumper*, Villing. ad S. Georg. praefectus gymnasii; *Conradus Borer*, prof. et bibliothecarius San-Petrinus; *Joa. Gerber*, Theresensis; *c)* inter *Canonicos regulares*: *Josephus Weissensee*, Heidenfeld. prof. theol.; *Sebast. Seemiller*, Pollinganus, prof. theol. Ingolstad.; *d)* inter *Carmelitas* *Joa. a S. Cruce*, prof. theol. Heidelbergensis; *e)* inter *Augustianos* *Xystus Schier*, litterator Vienn.; *Aug. Ant. Georgi*, prof. S. Scripturae Rom. et bibliothecae Angelicae praefectus; *Jordanus Simon*, prof. theol. Prag.; *Richardus Tecker*, prof. theol. Graecensis et bibliothec. Rom.; *Possidius Zitter*, praefectus gymnas. Münnerstad.; *f)* inter *seculares* denique *Franc. Ant. Veith*, doctus bibliopola Augustanus; *Joseph. Klein*, secretarius Caesario-regius Friburg.

Atque hi quidem omnes religionem *Catholicam* profitebantur. Sed et cum *Protestantibus* non paucis diuturna illi necessitudo intercessit, et frequens commercium epistolare, eoque, quam et scriptis docuit, et pie prudenterque suis instillavit auditoribus, mutuam dissidentium tolerantiam, suomet exemplo pulcherrime demonstravit. Qui ante ipsum de vitae statione decesserunt, sunt: *Joa. Georg. Schelhorn*, Superintendens et litterator Memming.; *Chr. Frid. Polz*, prof. philos. et theol. Jenens.; *Chr. Wilhelmus Schneider*, Superintendens Isenacens.; *Ge. Andr. Will*, prof. et polyhistor Altorf.; *Georg. Matth. Schnizer*, Superintendens Neostadianus ad Aischam; *Ge. Wolfg. Panzer*, praepositus eccles. cathedral. Norimb.; *Jer. Jac. Oberlinus*, prof. Argentorat.; *Christoph. Theophil. Murrius*, patritius et litterator Norimbergensis. Multos alios charos sodales et amicos tacitus praetermisit, quod de iis referre non erat integrum, necessariis in rem adminiculis destituto.

Cum ita per annos octo et triginta in hac *Friburgensi* litterarum officina theologiam dogmaticam publicae docuisset, essetque jam septuagenario major, firma jugiter adhuc valetudine usus, quam tueri et conservare noverat prudenti victus ratione: sensit aliquantum hebescere oculorum aciem, et hinc inde vacillare memoriam, cujus rei insuetus continuo

in eam opinionem venit, supremum non procul abesse diem, et jamjam sibi imminere, protinusque decrevit, nuntium remittere curis professoriis, et obtenta honesta missione sibi Deoque soli vivere. Itaque an. 1805 rude donatus coepit non nisi *mortem* cogitare et praestolari. Sed cum haec moras traheret, neque se ullibi propius videndam praeberet: advertit paulatim senex venerabilis, se non tam corporis, quam animi aegritudine premi; quam ut depelleret, aut saltem leniret, ad antiqua studia reversus, legit relegitque auctores veteres, cum sacros, tum profanos, et memor illius moniti *Tulliani* *) „Senectus non modo languida et iners non sit; verum „etiam sit operosa et semper agens aliquid et moliens, tale scilicet, quale „cujusque studium in superiore vita fuit" de *inventione pulveris pyrii et bombardarum* non nulla conscripsit; deinde concilium cepit, *Muratorii* opus egregium *de ingeniorum moderatione in religionis negotio* contrahere, atque ad aevum nostrum magis accommodare; mox psalmos, quos *poenitentiales* vocant, carminibus reddere. Verum haec partim imperfecta reliquit, partim vix inchoata. Perfecit autem novam editionem *Commonitorii S. Vincentii Lerinensis*, RUDOLPHO Austriae Archiduci dicatum, in cujus *praefatione* suos quondam auditores alloquitur, iisque quasi supremum vale dicens praeceptiones impertit saluberrimas, quas excipiunt *prolegomena*, quae ad opus illustrandum spectare videbantur, historica, critica, litteraria. Ipsius libelli singulis capitibus *notas et animadversiones* adjecit doctas et copiosas. Postremo in animum induxit, monumentum ponere viris illustribus, supra laudatis, qui, eo superstite, fato functi erant, et amicitiae foedere, eorundemque studiorum similitudine cum ipso conjuncti; unde enatum est jam saepius memoratum opusculum, quod *necrologium* inscripsit, jam ipse necrologio inserendus. Has enim inter et similes occupationes cum vitam quinquennio amplius non injucunde transegisset, viribus denique paulatim exhaustus an. MCCMXI, die VIII. Julii, natus annos LXXVIII, menses V, dies XX, obdormivit placide, et ad beatam immortalitatem demigravit. Testamenti tabulis sua manu scriptis omnem supellectilem librariam (venabatur autem

---

*) *Cicero de senect.* 24.

libros selectos et rariores, quorum multitudinem sat magnam collegerat) *) et quidquid habebat schedularum, bibliothecae Academicae legavit, ut, qui per omnem paene vitam se almae Albertinae consecraverat, ei etiam post fata, et perpetuo prodesset. Orationem, dignam plane tanto viro, dignam se ipso, in ejus funere habuit claris. Collega *Hugius*, tum Ordinis theologici Decanus, unde multa hausimus. **)

Inter chartas digitis notatas, quas nobis reliquit collega desideratissimus, velut lenta inter viburna cupressus eminet, *de vita et scriptis Conradi Celtis* opus, jam ante annos plus quam viginti inchoatum, et an. 1805 prid. Kal. Maji perfectum consummatumque, quo die, quemadmodum ex praefatione patescit, ultimam ei manum admovit. Non est igitur hic liber properante ac praecipitante calamo exaratus; sed tanta diligentia et ἀκρίβεια in eo concinnando atque perpoliendo posita, quantam a viro prudentissimo gravissimoque sperare et postulare liceat. In primis, quidquid ad *Celtem* exornandum illustrandumque facere videbatur, conquisivit undique summa cura et industria, neque ullis pepercit sumtibus, neque laboribus, ut opusculorum a *Celte* olim editorum ne unum quidem illi deficeret, et quaecunque ejus inedita sive in bibliothecis publicis, seu in privatorum scriniis delitescerent, investigaret, atque vel amicorum favore, vel quantovis pretio adeptus aut ipse describeret gnaviter, aut describenda curaret. His instructus praesidiis et adminiculis cum accederet ad opus elucubrandum, non poterat, nisi elimatum, exasciatum, omnibusque ferme numeris absolutum ab eo proficisci, qui et *Celtem* suum amavit unice, et cum Musis rationem habuit perpetuam, atque in eorum contubernio aetatem egit. Itaque nec nimis fuse lateque, quod nauseam creare possit, neque arcte nimis et jejune disseruit, sed suo loco posuit omnia, nihilque habet supervacaneum, nihil inconditum aut claudicans. Stilus ejus neque phrasium

*) Adhuc vivus dono mihi dedit raram illam *Corporis juris* editionem ex recensione *Dionys. Gothofredi* cur. *Sim. van Leeuwen*. Amst. 1663. fol.

**) Elogium *Engelberti Klüpfelii* in alma Albertina Professoris Theologiae P. O. — recitavit in Aede Summa S. Virginis Dr. *J. L. Hug* P. P. O. Frib. et Constant. Herder. 43. pag. 8.

caligine obscurus est, neque periodorum involucris laborans, sed plane historicus, id est, apertus et simplex, castus tamen, purus et facilis, eamque ob rem non solum doctioribus jucundus; sed latine adeo discentium conatibus accommodatus. Enimvero quae omnium maxima ex hisce commentariis emergit utilitas, hanc esse opinor, quod inde tantum luminis affunditur illorum temporum (ab an. 1459-1508) historiae cum politicae, tum potissimum litterariae, quantum haud scio, an ulla re praeterea. Erat enim *Celtis* cum viris ejus aetatis doctissimis atque summo loco natis amicitiae vinculo copulatus; erat idem parens et conditor *societatis Rhenanae;* erat litterarum in Germania renascentium restaurator primus ac praecipuus, ubique celebratus. Inde enata est *Klüpfelio* occasio, omnia fere illius aevi litterarum fata persequenti, et de hominibus rebusque referendi multa memoratu dignissima, neque alio prius ore dicta. Quam primam *Cicero* statuit legem historiae *): „Ne quid falsi dicere audeat, deinde ne quid „veri non audeat, ne qua suspicio gratiae sit in scribendo, ne qua simul- „tatis," eam noster obserravit ad amussim, in rebus dijudicandis acutus, in enarrandis sincerus et integer, in exponendis elegans ac dilucidus. Nemo dicat, me nimium laudare venales, quas velim extrudere, merces. Praeterquam enim, quod extrudere nolim, tam certum est mihi, quam quod certissimum, a bono et intelligente quolibet judicium meum probatum iri.

Quae cum ita sint, quis non miretur, et stomachetur adeo, illud, de qua *Klüpfelium* jam ante annos XIV. conquestum esse, supra diximus, iterum ac saepius ei accidisse, ut frustra pulsatis typographorum et bibliopolarum foribus nemo reperiretur, qui opus praestantissimum suis excudere sumtibus voluisset. Ajunt, sibi satis esse, *ὡς βιβλιοπωλικον ἐπος εἰπειν*, *Maculaturae;* satis chartarum, quae, inutilia terrae pondera, foras spectent in vicum vendentem tus et odores; albas chartas se malle servare et virgines, quam latinis sermonibus comprimere et inquinare. „Fac mihi, „inquiunt, lingua vernacula librum eroticum, fac mihi historiam fabulosam, „fictas narrationes, pagellas matutinas, novellas elegantes, miscellaneas,

*) *II. de orat. 62.*

„festivas, lepidas, ut nihil supra. Haec enim arrident viris feminisque, „haec senibus juvenibusque salivam movent, ut certatim emant, legant, „devorent, et horas diesque — perdant otiosissimis occupationibus. Contra „quaecunque Latino stilo consignata sunt, adeo non sunt publici saporis, „ut neglecta jaceant et contemta. Ita nunc mos viget, neque nos in „culpa sumus; sed hoc vitium, si vitium est, rationi temporum, quae „vivimus, est tribuendum, non nobis. Nos enim mercaturam exercemus, „et opus habemus praesenti pecunia manibusque oculatis, quae non credunt, „nisi quod vident *), ut nemo jure nobis irascatur, si merces appetimus „vendibiles, et tanquam stercus, aut si quid eo vilius, repudiamus libros „omnes, qui emtores non inveniunt."

Ceterum fautores et amicos, qui de *Klüpfelii* in *Celtem* commentariis bene meriti sunt, ipse in praefatione gratus recensuit. Non possum tamen non et ego justas debitasque grates hoc loco referre clarrissimo *Dollinero*, antea in illustri academia *Theresiana* juris publici, nunc in litterarum Universitate Vindobonensi juris civilis et canonici Professori P. O., cui res et rationes *Klüpfelii*, multis abhinc annis adeo curae cordique fuisse scio, ut eas suis ipsius anteponeret. Sperabat *Dollinerus*, ex bibliopolis Viennensibus tanto magis quemquam futurum, qui bonis conditionibus opus *Klüpfelianum* typis evulgandum reciperet, quanto id plura complectitur, quae ad Vindobonenses maxime spectant, eorumque quasi appetitum irritare possint. Nihil igitur *Dollinerus* intentatum reliquit, ut eos ad faciendum rei periculum impelleret; persuadere tamen illis non potuit. Enimvero neque nunc spem omnem abjiciendam, sed aliam esse viam ingrediendam existimavit. Solent nempe Vindobonae nobilissimi adolescentes, praesertim rebus fortunisque auctiores, qui haustae in academia doctrinae publica dare volunt specimina, praeter eas, quas defendendas suscipiunt, positiones, selectam quamdam lucubrationem, sive veterem, eamque oppido raram aut minus obviam, sive recens compositam, suis impensis excuden-

*) *Plaut. Asin. 1. 3. 50.* „Semper oculatae nostrae sunt manus; credunt, quod vident."

dam gratisque distribuendam curare. Itaque *Dollinerus* prima quaque, quae se offerret, hujusmodi facultate in *Celtis* commoda uti statutum habebat; jamque nobilis Hungarus, academiae Theresianae alumnus, fidem suam obstrinxerat de sumptibus suppeditandis. Verum hoc quoque consilium interceptum est eo, quod *Klüpfelii* autographum, nescio, quo fato, Viennae non adventasset in tempore, eaque tarditas effecisset, ut, qui disputationem in aliud tempus differre renuebat, de alio sibi argumento prospiceret. Deinceps cum, ut fit inter bellorum tumultus et calamitates, pauci admodum essent, qui in arenam descenderent; pauciores, quibus libuisset, necessaria impendia sustinere, eam utilitatem percipiendi, magis magisque concidit. Itaque cum *Dollinerum* de morte ultimaque voluntate *Klüpfelii* fecissem certiorem, eumque rogassem, ut, quidquid in manibus haberet ad *Celtem* pertinens, quam primum commode fieri possit, mecum communicaret: pro ea, qua est liberali gratificandi voluntate petitioni meae sine mora et cumulate satisfecit, addiditque, nihil sibi desideratius esse, quam quae de *Celte Klüpfelius* conscripsit, brevi in dias luminis auras producta videre.

Quid igitur? Hoc praeclarum ingenii et diligentiae *Klüpfelianae* monumentum, hoc bibliothecae academicae κειμήλιον, eruditione, facundia, grataque rerum et utilium, et jucundarum varietate refertum, num diutius captivum detineatur, nec liberetur e carceribus? Absit!

Decretum hoc est Senatus Academici, recte sapienterque judicantis, has quasi rosas violasque tumulo viri deberi, si quisquam, boni atque ad commoda et honorem hujus Musarum sedis procreati, quam per annos fere LIV. docendo scribendoque illustravit. Ita enim alma haec Albertina et voluntati optimi collegae obtemperat, et ejus memoriae consulit, et illorum temporum historiae, omninoque nobilissimo litterarum humaniorum studio lucem largissimam atque aeternam foeneratur. Profecto non poterat venerabilis senex opus, tantis laboribus et impensis congestum, bibliothecae academicae eo consilio legare, ut in angulo quodam dormiret, nunquam e somno excitandum, sed ut optima quaque ratione, et quam fieri potest, celerrime, ad omnium, qui bonas litteras amant, notitiam usumque per-

veniret. Quare pro certo sumi potest, si quidem mortuis aliquis inest rerum humanarum sensus, non displiciturum beato viro, sed potius valde acceptam gratamque esse voluntatem hanc studiumque, quo collegae ejus adnituntur, et cupiunt, ad posteritatem transmittere, quod ipse ei destinaverat. Neque vereor, ne irascatur propterea, quod haec sparta mihi sit demandata, cui a multis inde annis se amicum benevolumque praebuit, et non semel declaravit, se gaudere de *Celte* ad umbilicum perducto, atque bene sperare, non defuturos aliquando, qui huic foetui operas obstetricias essent praestituri. Utrum spes eum fefellerit, non est meum, dijudicare. Equidem, quidquid id est laboris, certe a munere, quo fungor, minime alieni, non modo non invitus, sed lubentissimus suscepi. Neque enim optatior poterat mihi opportunitas contingere, eam, qua cineres atque ossa beati viri colo, observantiam testatam faciendi. Itaque in hoc negotio caste adeo integreque versabor, ut, quae sunt *Klüpfelii*, omnia summa adcuratione et fide typis committam, ne apice quidem uno vel detracto, vel adjecto, nefas esse ratus, eleganti purpurae laciniam attexere, aut centonem. Vix tamen puto, me plane ἀσυμβολον discessurum esse; sed, ubi visum fuerit, hinc illinc aspersurum notulas, quas ab his, quae a beato auctore profecta sunt, studiose distinguam, adpicta littera *R.*

Haec de commentariis dicta sunto, quae nobis *Klüpfelius de vita et scriptis Conradi Celtis*, reliquit. Quaecunque vero *Klüpfelius* in appendice subjunxit, ea nunc quidem nobis seponenda erant, alio tempore si quando facultas nobis dabitur evulganda, in primis *Epigrammatum Celtis ineditorum Libri V* plagulas (Bogen) fere quindecim complectentes. His tamen opusculis longe antecedit et utique magni est ad historiam literariam momenti *Collectio ducentarum epistolarum, quas diversi amici et sodales ad Celtem dederunt, ineditarum,* quam et ipsam Bibliotheca nostra academica Klüpfelio acceptam refert Qui quidem quantivis pretii codex epistolaris plagularum circiter quadraginta ut redemtorem nanciscatur, sedulo curabimus.

DE VITA ET SCRIPTIS
CONRADI CELTIS

PRAECIPUI RENASCENTIUM LITTERARUM IN GERMANIA RESTAURATORIS

OPUS POSTHUMUM

B. ENGELBERTI KLÜPFELII

O. S. A. THEOLOGI FRIBURGENSIS.

CANDIDO LECTORI
S. P.
ENGELBERTUS KLÜPFEL.

Quibus potissimum adductus causis, et quibus subsidiis instructus, huic operi manum admoverim, paucis accipe. Eram ab ineunte aetate popularis mei, *Conradi Celtis*, cultor et admirator perpetuus; miroque tenebar desiderio, penitius cognoscendi, quae ad illius vitam et scripta attinent. Consului eam in rem, quos potui, biographos et bibliographos, a quibus cum intellexi, fere non referri, nisi trita, quae leguntur in ejus vita, perbrevi, nec mendis vacua, sodalitatis litterariae Rhenanae adornata studio: cupido incessit animum, investigandi opuscula, quae reliquit *Celtis*, ut plura hinc, eaque certiora comperirem. Neque me fefellit exspectatio. Multa namque

sunt, quae inde didici, biographis vel ignorata, vel enarrata aliter. Etsi vero difficile sit, indagare, multoque sit difficilius, acquirere vetera id genus monumenta litteraria, quae in librariorum tabernis frustra quaesieris, pleraque parvae molis, aut semel duntaxat edita, reclusave in bibliothecis, unde non datur exitus: tam fortunatum tamen me fuisse fateor, ut favore et opera amicorum pleraque in manus meas venirent vel donatione, vel permutatione, aliisque jure probatis acquirendi modis. Dissimulare aut reticere hoc loco si vellem nomina amicorum, quorum ope factum est, ut ea *Celtis* lipsana in manus meas inciderent; merito mihi esset metuendum, ne arguerer aut animi haud satis candidi, aut officiorum immemoris. Primum itaque (si quidem non cognoscenda solum, verum etiam palam profitenda sunt aliorum in nos beneficia) *Celtis* opusculum, *artem* scil. *versificandi et carminum*, dono accepi a viro perillustri, *Josepho Antonio Rieggero*, collega, quamdiu in hoc nostro Athenaeo ecclesiasticam jurisprudentiam profitebatur, mihi conjunctissimo, νῦν ἐν ἁγίοις.

Exemplar alterum ejusdem libelli, cujus quidem editio paulo est antiquior, una cum alio *Celtis* opusculo, quod inscribitur: *Septenaria Sodalitas litteraria* cet. acceptum refero

Annalium typographicorum editori celeberrimo G. *W. Panzero*, conciliatoris ac proxenetae vices agente *Nicolao Willio*, theologiae quondam apud nos professore, post Caesari a consiliis, qui bellicis terroribus in fugam actus, *Norimbergae* aliquamdiu morabatur, Pylades ad obitum usque perseverantissimus.

Tragoedia Senecae: Coena Thyestis, quam in lucem *Celtis* protulit, accessit reculis meis donatione supremi sacrorum Antistitis *Neostadii ad Aischam* in ditione Baruthensi, G. *M. Schnizeri*, senis optimi, qui codices ecclesiae *Neostadianae*, cui praeest, recensuit, typisque mandavit.

Panegyrin ad Duces Bavariae pro ea, qua est in omnes, summa humanitate, peramanter mihi obtulit, munerique misit scholae Tubingensis insigne decus, clarumque in litteratura Orientali nomen, *Christianus Fridericus Schnurrerus.*

Opusculis tribus, nimirum: *Epitoma utriusque Ciceronis rhetorices*; libello *Taciti de situ et moribus Germanorum*, cura *Celtis* edito; et *Propositionibus Cardinalis de Cusa*, quibus est adjunctum *carmen seculare*, auxit collectionem meam Viennae vir ecclesiasticus, litterariae historiae eximius cultor, *Franciscus Herbitz*, bibliothecae in Academia Theresiana custos.

Ludus Dianae, et *Oeconomia* ***Celtis*** jure permutationis ex bibliotheca *PP. Dominicanorum Aug. Vind.* in meos forulos commigrarunt.

Libros Amorum, et *opera Roswithae*, quae Viennae in taberna libraria veterum codicum venum exposuerat *Al. Blumauerus*, ut Plautino verbo utar, praestinavi.

Rhapsodiam, in membrana typis descriptam, ultro citroque mihi obtulit, donavitque Collega praeclarissimus, *Carolus Schwarzelius*, anno hoc scholastico (1805) academici Prorectoris munere fungens.

Editio princeps *Ligurini*, quem *Celtis* typis *Augustanis* excudendum reliquit, jure emptionis ad me transiit.

Melopoeiam sponte sua ac liberaliter mihi cessit, meaeque syllogae accessionem fecit rarissimo codice peramicus vir, *G. W. Zapfius.*

Odarum libros IV. cum *Epodo* permutationis titulo nactus sum e bibliotheca Can. Reg. *ad Cellam B. V. M.* haud procul Friburgo, agente *Michaele Fritz*, ejusdem collegii, dum viveret, Antistite, et Facult. theol. Frib. directore.

Epigrammatum libri V., hactenus inediti, ut una cum aliis *Celtis* poematis msc. ex *Norimbergensis* reipublicae bibliotheca publica ad me perferrentur utenda, peramanter seduloque

curavit multiplici doctrina et eruditione ornatissimus *Ch. Th. Murrius*, Norimbergensis Patritius.

His accessit *Xysti Schierii* commentarius msc. *de sodalitate litteraria Danubiana*, ex bibliotheca *Augustinensium Viennae ad viam Regiam*, quem usibus meis benevole concessit vir eximius, *Ernestus Schober*, ejusdem coenobii bibliothecarius, ὁ μακαρίτης: unde haud parum profecisse me fateor, praecipue in iis, quae sodales et discipulos *Celtis* attinent.

Tandem me juvit plurimum codex msc, qui epistolas continet, quas amici et sodales ad *Celtem* dederant. Debeo istius collectionis usum benignitati viri clarissimi, *Mich. Denisii*, ad quem spectaverat. Quas in manus post ejus obitum rarissima sylloge venerit, me latet. *) Descripsit codicem ducentarum epistolarum, et quod excurrit, meos in usus *Celtis* mei rerumque mearum studiosissimus *Thomas Dollinerus*, Viennae in perillustri academia *Theresiana* antea publici juris, nunc in universitate juris ecclesiastici et civilis Romani professor.

---

*) Serius annotavit auctor, hunc codicem jure legati cessisse *Francisco Arminger*, presbytero, academiae Theresianae olim vicedirectori, eoque pariter defuncto in publica auctione aere comparatam migrasse in bibliothecam palatinam Vindobonensem. *R.*

Testamentum *Celtis* cum documentis aliis, quae in actis msc. Viennensis academiae recondita latent, indagavit, eruit, parique studio mecum communicavit officiosissimus *Dollinerus*.

Atque his potissimum munitus praesidiis accessi ad enarranda ea, quae de *Celte* compereram. Divisi, quidquid est scriptionis, in capita duo. Primum complectitur *Celtis vitam*; alterum ejus *scripta* percensebit. Adnexuimus *appendicem*, quae referet *Celtis epigrammatum* libros V., hactenus typis non vulgatos. Epigrammatis subjecimus ejus *epistolas*, quotquot quivimus invenire. Sunt autem oppido paucae. Cetera, quae succedunt, sive anecdota, sive, quae huc faciunt, litteraria monumenta alia, cognosces, benevole lector, ex indiculo appendicis. Vale. Friburgi Brisgoviorum. Pridie Kal. Maji MDCCCV. *)

---

*) Ex amicis, quorum favorem et operam hic laudavitauctor, interea rebus humanis erepti sunt: *Schnizerus, Panzerus, Schwarzelius, Zapfius, Murrius.*
R.

CONSPECTUS
TOTIUS OPERIS
DE
CONRADI CELTIS PROTUCII
PRIMI GERMANORUM POETAE LAUREATI
VITA ET SCRIPTIS

LIBER I.
CELTIS VITA.

I. Patria *Conr. Celtis* non *Suinfurtum*, nec *Wirceburgum*, neque *Protuch* pagus est; sed *Wipfelda*.

II. Familia *Celtica* apud Orientales Francos non ignobilis. Parentes *Conradus* habuit culturae vinearum addictos.

III. Annus et dies natalis.

IV. Nomina. Paterno germanoque nomine appellatus est *Pickel*. Quid nomen *Protucius* sibi velit, arduum est divinare. Conjecturam dedimus.

V. Puerilem in litteris institutionem hausit a Germano suo, *Druide*; quo vocabulo sacrorum antistitem, vulgo parochum intelligimus.

VI. Fuga e paternis aedibus.

VII. Studiorum continuatio *Coloniae Agrippinae*;

VIII. Et *Heidelbergae*, praeceptore *Rudolpho Agricola*.

IX. Avidus visendi academias Germaniae alias, contendit *Erfordiam*, *Lipsiam*, atque *Rostochium.*

X. Iter *Italicum* studiorum causa. *Pataviae*, *Ferrariae*, *Bononiae*, *Florentiae*, *Romae* viros doctrina claros audiit.

XI. Reditus ex Italia, superatis alpibus, per Sueviam in *Noricum.*

XII. Annus laureae non est, ut multorum fert persuasio, an. 1491, sed 1487.

XIII. Coronatus *Norimbergae* in arce imperiali, manibus *Friderici III.* Imperatoris.

XIV. Iter *Sarmaticum*, et commoratio *Cracoviae*, excolendi ingenii causa, praecipue disciplinis mathematicis.

XV. Magisterium philosophicum, quo, ut conjectamus, *Cracoviensi* in academia est ornatus.

XVI. Iter *Noricum* per *Silesiam*, *Bohemiam*, *Moraviam.* Hinc delatus in *Pannoniam*, *Posoniam*, *Budam.* Inde reversus *Ratisbonam.*

XVII. Commoratio *Ratisbonensis*, atque studia, quibus vacabat, dum in ea civitate tenebatur.

XVIII. Iter *Moguntinum.* Initium sodalitati litterariae *Rhenanae* datum, cum ea in peregrinatione diverteret *Heidelbergam.*

XIX. Commoratio *Moguntinensis.* Studium investigandi antiquitates Romanas, quae reperiuntur in agro *Moguntiaco.* Excursus *Trevirensis* earundem antiquitatum gratia.

XX. Iter *Balticum* ad sinum *Codanum*, hyemis ingruentis tempestate.

XXI. Commoratio *Lubecensis.*

XXII. Reditus e sinu *Codano.* Divertit *Pragam.* Carminibus ibi disseminatis invidiam sibi conflavit.

XXIII. Profectus inde *Norimbergam*, ubi munus docendi publicum nunquam obiit; secus ac non nullis visum est.

XXIV. Vocatio *Ingolstadium.* Stipendio publico conductus, oratoriam et poeticam artem professus est in illa academia.

XXV. Monumenta litteraria, quae admotus muneri professorio ibidem edidit.

XXVI. Scholastico anno elapso, abdicavit docendi munus, profectus *Viennam.* De eo *Viennae* retinendo vota et consilia.

XXVII. *Ratisbonae* ludo litterario praeficitur.

XXVIII. Reditus ad academiam *Ingolstadianam,* pristinumque docendi munus.

XXIX. Iter *Spanheimense* ad *Joannem Trithemium,* qua in peregrinatione *Friburgum* divertit, nostrum *Udalricum Zasium* salutaturus.

XXX. Peregrinationes aliae, dum erat *Ingolstadii;* quas inter memorabilis illa, quam fecit *Frisingam* ad *Joannem Dalburgium.*

XXXI. Tempore pestis 1495 salutem in fuga quaesiturus, *Heidelbergam* petiit, ibidemque filios *Comitis Palatini* in litteris Latinis et Graecis instituit.

XXXII. Reditus *Ingolstadium* anno 1497, dum desiit contagiosa lues.

XXXIII. Vocatio *Viennam,* litteris *Maximiliani I.* Imperatoris.

XXXIV. Festivis sodalitatis litterariae *Danubianae* exclamationibus exceptus.

XXXV. Multiplex disciplinarum genus, quod in academia *Vindobonensi* tradidit.

XXXVI. Bibliothecae Augustae curandae atque in ordinem redigendae praefectus,

XXXVII. Peregrinatio ad remotissimos Germaniae fines ultimamque *Thulen,* viaticum largiente *Maximiliano* Imperatore.

XXXVIII. *Celtis* reditus ex Insula *Thule* ad Imperatorem. Diploma Caesaris de Collegio poetarum et mathematicorum.

XXXIX. Praefectura Collegii una cum facultate coronandi poëtas demandata *Celti.*

XL. Postrema *Celtis* peregrinatio in *Orientalem Franciam* cet. veterum codicum conquirendorum causa.

XLI. Annus et dies emortualis.

XLII. Mores ejus atque apophthegmata.

XLIII. Religio.

XLIV. Prosopographia, imagines et insignia *Celtis.*

LIBER II.

CELTIS SCRIPTA.

Praevio monito de *C. Celtis* scriptis generatim, subjiciuntur edita ab eo, relictave monumenta litteraria.

I. *Ars versificandi et carminum.*

II. *Hercules furens es Coena Thyestis*; *L. Annaei Senecae* biga tragoediarum cura *C. Celtis.*

III. *Proseuticum;* petitio laureae poeticae.

IV. *Panegyris ad Duces Bavariae*, carmen heroicum, cui annexa est *oratiò inauguralis.*

V. *Epitoma in utramque Ciceronis rhetoricam*, cum *modo epistolandi.*

VI. *Oeconomia* philosophi, metrice descripta.

VII. *De origine, situ, moribus et institutis Norimbergae libellus.*

VIII. *Vita sancti Sebaldi*, Noricae civitatis patroni, metro contexta.

IX. *Ad Charitatem Pirckhameram*, ode Sapphica.

X. *Lucii Apuleji, Platonici et Aristotelici philosophi, Epitoma divinum de mundo, seu Cosmographia, ductu C. Celtis impressum.*

XI. *Cornelii Taciti de situ et moribus Germanorum liber,* studio *C. Celtis* editus.

XII. *Septenaria Sodalitas litteraria.* *Ausonii sententiae septem Sapientum. Ejusdem Ausonii ludus septem Sapientum. Epistola sancti Hieronymi de legendis et audiendis poëtis.* Opuscula curante *Celte recusa.*

XIII. *Propositiones Nicolai de Cusa, Cardinalis, de: Non aliud.* Accessit *C. Celtis* carmen seculare.

XIV. *Opera Roswithae*, sanctimonialis Saxonicae, inventa a *C. Celte* et emissa in lucem.

XV. Ludus Dianae, in modum comoediae, coram *Maximiliano I.* Imp. exhibitus *Lincii* in arce Regia.

XVI. *Libri Amorum IV.* opus elegiacum, cui sunt adnexa tum *Celtis*, tum aliorum opuscula quaedam alia.

XVII. *Rhapsodia*, continens *ludum scenicum*, actum *Viennae* spectante Imperatore; et carmina juvenum poetarum in laudem Caesaris, et actionem gratiarum pro instituto collegio poetico.

XVIII. De diversis diversorum studiis, *C. Celtis* poema.

XIX. *Güntheri Ligurinus*, distinctus in libros X, de gestis *Friderici Barbarossae*, repertus a *Celte* et typis vulgatus *Aug. Vind.*

XX. *Melopoeia*, opus musicum.

XXI. *Odarum* libri IV, cum *Epodo.*

XXII. *Epigrammatum libri V.*

XXIII. *Grammaticae Graece institutio.* Opus ineditum.

XXIV. *Epistolae.*

XXV. *Orationes.*

XXVI. Opera *C. Celtis* reliqua: *deperdita, inchoata, prommissa.*

APPENDIX.

I. *Conradi Celtis* epigrammatum libri V.

II. *Ejusdem* epistolae, quae supersunt; quo retulimus etiam praefationes, quibus a *Celte* inscripti sunt libri Principibus ac illustribus viris.

III. Diploma *Friderici III.* Imperatoris de inauguratione poetica *Celtis.*

IV. *Philippi, Comitis Palatini* epistola ad Academiam *Ingolstadiensem,* theodisce.

V. *Celtis* oratio, quam habuit *Ingolstadii,* cum munus docendi adiret.

VI. Epistola *Maximiliani I.* Imp., qua *Celtem Viennam* vocavit.

VII. Sodalitatis litterariae *Rhenanae* epigrammata in opera *Rhoswithae.*

VIII. Privilegium *Maximiliani* de erectione Collegii poetarum et mathematicorum.

IX. Testamentum *Celtis.*

X. *Vita ejusdem* conscripta studio sodalitatis litterariae *Rhenanae.*

LIBER PRIMUS.

CONRADI CELTIS VITA.

CAPUT I.

C. CELTIS PATRIA.

Scripturus vitam, primi Germanorum coronati poetae, *Conradi Celtis Protucii*, ante omnia eo adnitendum putavi, ut perspicerem, ubi, quando, quibusve parentibus fuerit in lucem editus. Quibus quidem expeditis, fore arbitramur, ut, planior deinceps liberiorque nostra qualiscunque decurrat oratio. Ac primum quidem satis est exploratum, fuisse *Celtem*, cujus biographiam exhibere constituimus, natione *Germanum*, natum in *Orientali Francia*. [a] Quam vero testatum hoc est, ac in confesso positum apud omnes, est controversum, ubi quaeritur, quis-

nam apud *Ostrofrancos* sit locus ille, qui prima nascenti incunabula praebuit. Plerique *Suinfordiam* [b] ponunt, quae erat Imperii civitas libera. Alii pro *Wirceburgo* [c] pugnant. Sunt, qui pagum *Protuch* velint esse *Celtis* locum natalem. [d] Qui vero litigare renuunt, *haud procul Herbipoli* oriundum esse affirmant. [e] Quibus quidem omnibus rectius sapere, ac plane ex vero pronunciare censentur, qui *Celtis* genitale solum *Wipfeldam* esse asserunt, pagum dexterae *Moeni* fluminis ripae adjacentem, *Suinfordiam* inter atque *Herbipolim*; hinc quinque, illinc tribus horis dissitum. Cui quidem sententiae, quoniam testium coaevorum, *Joannis Trithemii*, [f] *Laurentii Friesii*, [g] atque veteris annalium *Wirceburgensium* scriptoris anonymi [h] auctoritate; imo ipsius *Celtis* testimonio [i] haud obscuro nititur, absque ulla haesitatione subscribendum esse judicamus, vereque ac merito contendimus, esse *vicum Wipfeldensem* [k] felicioribus iis locis annumerandum, qui ex illustrium virorum ortu celebritatem nominis consecuti sunt.

a) Huc spectat *Celtis* distichon Lib. I. Am. Eleg. II.

Francia Germano mihi stirps et origo poëtae,
Herciniae medio cincta beata sinu.

b) *Suinfordiae* natum esse *Celtem* prae ceteris asseruit *Jo. Trithemius* in *catalogo virorum illustrium Germaniae.* *Trithemium* secuti sunt longe plurimi, velut *Ger. Jo. Vossius* de *histor. Lat.* Lib. III. *Fugger Oesterr. Ehrenspiegel* ad an. 1487. *Jo. Alb. Fabricius*

in *biblioth. Lat.*, *Melchior Adam* in *vitis philos.*, *Nic. Gundling. observat. select.* Tom. I. observ. I., *Bocrisius* de *claris Franconiae viris.* *Jo. Chr. Gottschedius* im *Handlexicon der schönen Wissenschaften*, ut alios, maxime lexicographos, praetermittam. Etiam in actis Academiae *Vindobonensis Suinfurtensis* appellatur. Quin, ut nec illud taceam, *Valentinus Engelhardt*, *Geltershemio* prope *Suinfurtum* ortus, *Coloniae Agrippinae* conrector Bursae Montis, data anno 1496 ad *Celtem* epistola, cujus exemplar manu exaratum prae oculis habeo, eum commonet *unitatis patriae*, veterisque familiaritatis, atque *Suinfurtensem* nuncupat.

Quaerenti, quo pacto evenerit, ut apud plerosque invaleret communis illa persuasio, *Suinfordia* ortum esse *Celtem*, respondemus, veri esse simillimum: rogatum eum apud exteros, cujus aut undenam esset, respondisse, *Suinfurtensem* se esse; eoquod *Suinfurtum* civitas sit a loco suo natali haud procul dissita. Solent namque peregre agentes vicinam civitatem, quae sit notior et illustrior, pro patria profiteri, dum sunt orti pago aut oppido parum celebri. Verba itaque peregrinantis *Celtis* videntur fraudi fuisse *Trithemio*, ex quo hauserunt alii decepti a decepto.

Non minus a vero abeunt, qui idcirco *Suinfurtensem* appellatum putant, quod sit in ea civitate educatus, atque imbutus litteris. Huic enim opinioni, praeterquam quod idoneis probationibus destituta sit, repugnant ea, quae de illius institutione puerili suo loco proferemus. Ceterum laude dignum merito reputamus *Jo. Casp. Kleiberti* candorem ingenuum, qui, quamquam gymnasii *Suinfurtensis* rector fuerit, palam nihilominus professus sit, *Celtem Suinfurtensem* non fuisse. Confer eam in rem ejus *Programma de agnomine et patria Conr. Celtis. Suinfurti 1724*, in fol.

c) Quibus *Wirceburgum* allubescit, ipsummet *Celtem* sibi suffragantem habere videntur; canebat enim de se *Lib. I. Eleg. XII.*

Adde genus longo proavorum stemmate clarum,
Moenus ubi gelidis cornua flectit aquis.
Hic ubi Francorum urbs illustri valle levatur,
Deque Ερıβου *graeco nomine dicta* πολις.

Luculentius idem indicat *Descriptionis Norimbergae* cap. 2. *Deinde,* inquit, *ubi proprior Rheno Moenus factus est, vetustissima urbe* Ερıβιπολι, *Francorum metropoli; unde et nobis origo est,* His accedit, quod, cum anno 1492 nomen suum profiteretur *Ingolstadii*, *Wirceburgum* pariter patriam suam vocaverit. Albo enim academico hunc in modum inscriptus legitur: *Conradus Celtis Wirceburgensis prof. human.* (*Vid. Jo. Nep. Mederer Annal. academ. Ingolstad,* Tom. I. pag. 39.) Negandum equidem non est, haec verba istiusmodi esse, ut imponere incautis, errandique ansam legentibus praebere facile possent; at si spectantur ea, quae de vera *Celtis* patria subjuncturi sumus, mox disparebit omnis ea ambiguitas. Constabit etenim, hisce verbis *Celtem* sibi nihil voluisse aliud, quam majores, unde ortum duxit, *Wirceburgi* fuisse incolas; aut fuisse se *Wirceburgensem,* non nativitate, sed habita ratione ditionis vel dioeceseos; aut dixisse se *Wirceburgensem* ea ratione, qua supra se appellaverat *Suinfurtensem.*

d) Pagum *Protuch Celtis* natalem locum, primus somniavit *Jacobus Schopperus*, initio apud *Biberacenses*, deinde apud *Bipontinos* concionator; post *Heidelbergae* ecclesiae et scholae inserviit; demum *Altorfii*, auctor operis: *Historie der teutschen Nation. Francofordiae 1582,* fol., in cujus libri prooemio cetera inter habet haec: *Conrad Celtis aus Protuch bürtig bey Schweinfurt.* Descendit haud dubie eam in sententiam *Schopperus*, quod ignoraret, quid sibi vellet nomen *Protucius,* suspicatus, eo designari *Celtis* patriam. *Schoppero* adstipulati sunt *Kleibertus* l. c. *Jo. Georg. Schelhornius* senior part. III. commercii epist. *Uffenbachiani* pag. 40. not. d., *Georg. Ern. Waldau Beyträge zur Geschichte des Stadt Nürnberg*, II. Band, XIII. Heft, p. 235.

Nürnb. 1787, 8., *Philipp. Wilhelm. Gerken in seinen Reisen*, II Th. 1784, 8. Neque alienus ab ea opinione erat *Andreas Willius* Altorfensis, quemadmodum suis ad me litteris declaravit.

Eos, qui ita sentiunt, rogatos velim, ut edisserant, ubi situs sit ille pagus, quem *Protuch* nominant. Certum est, prope *Suinfurtum* ad Moenum (possum asseverare: in universa *Franconia*) nuspiam inveniri vicum aut pagum, qui eo nomine compelletur. Neque est assentiendum *Kleiberto*, interiisse pagum belli *Albertini* cladibus, vel mutasse nomen. Perspicuum sane est, ut ex epistola *Conradi Wiland*, nepotis ex sorore *Celtis*, elucet, anno 1499, quo epistola exarata est, *Celtis* patriam adhuc stetisse. Ea quidem de epistola, cujus apographum coram habeo, inferius redibit sermo. Quo, quaeso, pacto fieri potuisse existimamus, ut inde ab hoc temporis lapsu periret pagus, cui in sacris parochus praeerat, situs ad celebre flumen, et cultura vinearum insignis, atque ita interiret, ut nec vola, nec vestigium, ac ne nomen quidem relinqueretur? Sciscitari lubet, an in antiquis chorographicis aut geographicis tabulis, in vetere quodam *Francorum* libro chronico, in tabulario publico *Suinfurtensis* civitatis, aut in vicini monasterii *Heydenfeldensis* forulis alicubi occurrat nomen *Protuch*, ubi sermo est de jure patronatus, de decimis, censibus, laudemio tributisve id genus aliis. Sed desino de inani commento his plura addere, ne in re luculenta videar esse plus aequo verbosus.

e) *Haud procul Wirceburgo* ortum esse *Celtem*, asserunt *David Chytraeus* pag. 179. *chron. Sax.*; *Joannes Fichardus de viris illustribus* pag. 81.; *Paulus Freherus* in *theatro*; et novissime *Christianus Boenicke Geschichte der Universität Würzburg*, pag. 28. Quibus omnibus praeivit *sodalitas litteraria Rhenana* in vita *Celtis*: *Ad Moenum*, inquit, *fluvium, haud longe ab Herbipoli, Francorum in Germania metropoli, natus Celtis.* Aeque aut magis vage de *Celtis*

patria disserens *Henr. Pantaleon* in *Prosopograph.* Part. II. pag. 572. Theodiscae edit. 1578 simpliciter pronunciat, ortum eum esse in *Franconia.*

f) Equidem *Trithemius*, cum abbas erat *Spanhemii*, anno 1495, in catalogo virorum illustrium Germaniae scripserat, *Celtem*, *ex Schweinfordia esse ortum*, inductus, ut supra adnotavimus, hunc in errorem a peregrinante poëta; at posteaquam, a suis exagitatus, translatus est *Wirceburgum*, abbas ibidem constitutus coenobii Scotorum *ad S. Jacobum* anno 1506, die 15. Octobris, haud difficile ei fuit, in verae *Celtis* patriae notitiam pervenire, ac deponere errorem, in quo haeserat. Proprior enim tum erat his, a quibus poterat edoceri certiora. Habebat certe ibidem sibi notum *Celtis* ex sorore nepotem, *Nicolaum Wiland*, uti constat ex epistolis *Trithemii* lib. II. ep. 33. Hagen. 1536, 4. unde, quidquid ad *Celtem*, quem *fratris* loco habebat, attinere videbatur, earum rerum studiosissimus abbas, nullo paene negotio perdiscere potuit. Comperta itaque vera *Celtis* patria ejusdem obitum denuntians in *chronico Hirsaugiensi*, quod demum *Wirceburgi* absolvit, perpolivitque, ad annum 1508 scripsit: *Conradus Celtis Protucius*, *natione Germanus*, *patria Francus Orientalis*, *ex Wüpfeld prope Schweinfurt oriundus.*

Frustra quidem hoc testimonium requires in editione *Basileensi*, quae impensis *Jo. Oporini* anno 1559, fol., prodiit apud *Parcum.* Norunt enim eruditi, esse eam mancam et imperfectam; quippe quae careat additamentis ac emendationibus illis, quae doctissimus abbas adjunxit, dum posterioribus annis curisque supremam operi manum imposuit *Wirceburgi.*

g) *Laurentius Friesius* (*Fries*) anno 1491 natus *Mergenthemii ad Tuberim* fluv. apud Francones, *Celti* pariter coaevus, uti et

conterraneus, degebat annos plurimos *Wirceburgi*, plurium *Wirceburgensium* episcoporum a consiliis, praefectus tabulario principis publico, in historia ejusdem episcopatus, quam reliquit, multo versatissimus, locum natalem *Celtis* hunc in modum exprimit: *Der vielerfahrne hochgelehrte Poët Conrad Pickel, Celtis genannt, von Wipveld am Mayn.* Vid. *Jo. Petri Ludewigii scriptores rerum Herbipol.* pag. 395.

h) Ex veteri msc. codice chronico *Ignatius Gropp*, Benedictinus ad S. Stephanum *Wirceburgi* Tomo I. chronic. Wirceburg. pag. 68. in rem eandem haec adducit: *Anno 1508, den 4. Februarii starb Conradus Celtes von Wipffelt unter Schweinfurth, der erstere teutsche Poët, von kayserlichen Händen gekrönet.*

Esse *ipfeldam* natale solum nostri *Celtis*, testantur, et confirmant antiqua manu *elticis* odis adnotata haec verba: *Hic Conradus Celtes natus est 1459 in vico Wipfeldensi ad Moenum fluvium: primus inter Germanos poëta laureatus, mane circa horam tertiam.* Haec pro sua humanitate ac eo, quo est gratificandi animo, me monuit *F. W. Zapfius*, qui illum odarum codicem, Argent. 1513 typis vulgatum possidet.

i) Huc facit libri quarti Ode VIII., quam nativitatis suae locum descripturus *Celtis* ita orditur:

Bacchicos inter generatus olim et
Francicos colles, ubi Moenus altis
Flectitur ripis, et aprica silvis
Culmina vestit.

Quicunque ea, quae poëta cecinit de loco suo natali, comparaverit cum situ *Wipfeldae*, facile confitebitur, non in alium pagum magis, quam in hunc, convenire characteres, quos de loco nativitatis suae prodidit. Ornant enim pagum undique vitiferi colles, altaeque ripae impetum aquae sistunt ex adversa potissimum Moeni fluminis parte, ubi annosa silva querna (*Altaich*) amoenum inambulantibus secessum praebet. Quae vero infra et supra pagum loca editiora vestiunt nemora, illud *parochiale* (das Pfarrholz), istud, quod Principis est, *Hag* nuncupatum, rem quasi digito demonstrant, planeque evincunt, *Wipfeldam* prae oculis habuisse poëtam, dum sapphicam illam odem elucubrabat.

Quare merito in hanc sententiam abierunt post *Trithemium* et *Frisium* *Wolfgangus Krüger* in *catalogo mille virorum, Erford. 1618. 8.*; *Weislinger* in *armamentario* pag. 148.; *Jo. Andreas Quenstedt de patriis illustrium virorum* pag. 170.; *Beutherus* in ephemeridibus; *F. G. Freytag Analect. litterar.* pag. 231.; *P. Fischer brev. notit. Urbis Vindobon.* T. IV. pag. 8.; *Xystus Schier* in opere msc. *de sodalitate litterar. Danub.*, quibus haud ita pridem accessit *A. S. Stumpf Nachrichten von merkwürdigen Gelehrten des Hochstifts Wirzburg.* 1792, pag. 22.

k) Designat autem *Wipfelda*, nominis etymon si spectas, campum aut locum judicii, vel si mavis, supplicii. *Wippen* namque, prisca vox theodisca, idem valet, ac *flagellare*, *percutere*, aut malefactoribus inferre poenas, corporibus violenter in altum actis. Vid. *Wachter* in glossario, et *Adelung* voc. *Wippen*. Adhuc vigere apud Italos, praesertim *Romae*, speciem quamdam ejusce cruciatus, ad coercendos pacis publicae perturbatores in diebus Bacchanalium, testatur *Archenholzius* in *descriptione Italiae*, pag. 261, ubi refert barbarum illum morem, quo miseri, funibus alligati ferali

ligno (dem Schnellgalgen) summa velocitate jactantur sursum, deorsum, non sine praesentissimo valetudinis aut vitae periculo. Judicia capitalia olim habita fuisse *Wipfeldae*, et animadversum in facinorosos, indicat collis, vicinus ecclesiae (der Centberg). Eodem spectat munus *Centgravii*, et assessorum ejus (*Cent-Schöpfen*) ad nostram usque aetatem traductum, quamquam valde imminutum, restrictumve. Etsi vero, inde a longo annorum decursu judicia capitalia haberi, et sumi de reis supplicia desierint: patibuli tamen collapsa rudera, et propinqua vallis (der *Schelmengraben*) locus, in quo occisorum cadavera tumulabantur, satis declarant, conjecturam de nominis etymo, quam attuli, sua verisimilitudine haud prorsus destitui.

Non procul *Wipfelda* sedem fuisse nobilis cujusdam familiae, conjicitur ex veteri castro *Clingenberg*, in amoeno colle ad Moenum conspicuo. Neque desunt ex prima nobilitate, qui nomen sibi a *Wipfelda* traxerunt. Occurrit apud *Groppium* Tom. I. operum Lat. pag. 841. quidam *Otto de Wipfeld*, *Canonicus ecclesiae cathedralis* (*Wirceburgensis*) *sub Reinhardo* episcopo anno 1178. Floruisse eandem familiam adhuc seculo XV. ad finem vergente, discimus tum ex albo *Ingolstadiensis* academiae, cui anno 1472, qui erat annus primus erectae universitatis, insertus legitur *Henricus de Wippfeld*, canonicus Eustaettensis; tum ex inscriptionibus collectis a *Conrado Peutingero*, ex quibus nonnullas reducit *Franc. Veithius in vita Peutingeri* pag. 22. Una ex illis sic habet: *Gentilitio stemmate, vita, moribusque nobilis, Karolus Wypfeld, Eustettensis ecclesiae canonicus, conditorio hoc situs est. Obiit MCCCXCI, XV. Kls Julias.* His certiora forsan dedisset *Celtis* in sua *Germania illustrata*, quam in deperditis esse dolemus.

Gaudet nunc aetatis pagus *Wipfeldensis* privilegio fori, tum frumentarii in hebdomades singulas, tum nundinarum annuarum; habetque ecclesiam parochialem, inde a remotissimis temporibus, quondam multo latius diffusam. Comprehenderat enim pagos plures, trans Moenum sitos, nominatim *Heydenfeld*, *Hirschfeld*, *Eulendorf*, *Gernach*, *Lindach*, qui quidem a *Wipfeldensi* ecclesia anno 1141 avulsi sunt, novaeque parochiae, quae tum in *Heydenfeldensi* monasterio erigebatur, adjuncti; velut perhibet diploma *Embriconis*, *Wirceburgensis* episcopi, quod Tom. I. *Germaniae sacrae*, quam *San-Blasiani* in lucem proferre inceperunt, adnexum conspicitur in *cod. probationum* num. XXXV. pag. 35.

L I B R I I.

CAPUT II.

MAJORES ET PARENTES CELTIS.

Altius repetebat *Celtis* originem suam. Non enim uno loco gloriatur, se ex *Graeco sanguine* oriundum; ratus nempe erat, Francos a Graecis esse ortos. *a*) Cujus quidem rei visus est sibi deprehendisse vestigia, tum in graeco vocabulo, quo putabat, compellari Franciae Orientalis civitatem primariam Ερεβιπολιν; *b*) tum id colligebat ex simulacris *Palladis* et *Martis*, quae aetate sua Wirceburgi conspicua adhuc erant. *c*) Eodem refertur, quod praedicabat de vestitu Francorum, praecipue feminarum, quem ei simillimum reputabat, quo utuntur Graeci. *d*) Idem denique conjiciebat ex cantu Graeco, quo resonare quotannis Wirceburgense templum testatur. *e*) Sed missa hac lubrica de Graecis narratione, quae certiora sunt, subjungamus. Rectius itaque statuitur, majores, ex quibus originem traxit *Celtis*, ortos fuisse Wirceburgo, *f*) ac inter eos facile eminuisse *Gregorium de Heimburg*, *g*) seculo decimo quinto jurisconsultum celeberrimum, unum ex iis, quibus virtus, doctrina, justitiaeque amor fraudi fuit atque exitio. Familiam *Celticam* fuisse honesti nominis ac honoratam apud *primores Franciae*, edocet sodalitas litteraria Rhenana. *h*) Ex ejusdem sodalitatis testimonio liquet, patrem *Celtis* culturae vinearum fuisse addictum; *i*) matrem decrepitam ad aetatem pervenisse, ac prope centenariam vidisse quartam generationem, *Celtis* ipse testatum facit. *k*) Vix non ad incitas fuisse redactam, *l*) culpa potissimum *Georgii*, degeneris filii, *m*)

Conradus Wilandus. *Celtis* ex sorore nepos, litteris ac memoriae prodidit. *n*) Praeter *Georgium* fratrem, maternae substantiae decoctorem, habuisse sorores duas, atque ex iis nepotes plures, *o*) ex epistola ejusdem *Wilandi* aliorumque comperimus.

a) De Graeca Francorum origine ad *Philippum Callimachum* *) Lib. I. Od. VII. ita canebat:

Germano satis est mihi poëtae,
Si me Rhenus amet, legatque Moenus,
Moenus, vitiferis opacus agris,
Olim nobilibus viris decorus,
Grajo sanguine quos ferunt creatos.

Nonnullis interpositis:

Haec est patria Celtici poëtae.

Lib. I. Eleg. XII. originem Graecam dissertius jactitat:

Nemo miretur, Grajo me sanguine cretum,
Ἑλληνικὰ ad patriam jam retulisse meam.

*) De *Callimacho*, quem sibi amicum paravit *Celtis* Cracoviae commorans, infra recurret mentio *cap. XIV. not. r. s. t.* quibus addo, eum nomen suum *Bonacursii* (Ital. *Buonacorsi*), inita cum *Pomponio Laeto* societate, in Graecum *Callimachi* mutasse, cumque ipsa haec conjunctio *Paulo* II. Papae suspicionem factionis pravique consilii injecisset, fuga sibi consuluisse. Scripsit: *De his, quae a Venetis tentata sunt, Persis ac Tartaris contra Turcos movendis; orationem ad Innocentium VIII. pro foedere cum rege Poloniae ineundo adversus Turcos; vitam Attilae; de rege Hungariae Uladislao IV. et clade Varnensi*, aliaque magnam partem nondum edita. R.

b) Elegia eadem refert, qua via Graeci in Franconiam Orientalem delati fuerint, ibidemque exstruxerint civitatem Ἐρεβίπολις Graeco imposito nomine:

Fama est, dum Graji petiissent Gallica rura,
Ad Rheni ripas exonerasse rates;
Inde per Hercinios saltus vallesque patentes
Struxisse his placidis moenia Graja locis.
Cumque atras Diti litarent more bidentes,
Et Druides templis instituere sacris;
Hinc a Dite dabant urbi sua nomina Graeca.

Paulo supra:

Hic, ubi Francorum urbs illustri valle levatur,
Deque Ερεβου *Graeco nomine dicta* πολις.

Quodsi *Celtis* comperta habuisset, aut legisset ea, quae ante ipsum scripserat *Gobelinus* *) in *Cosmodromio*, novum videlicet *Herbipolis* nomen esse, atque ante seculum XI. fere incognitum; quandoquidem Theodisco vocabulo *Wirtzburg* illa civitas olim appellaretur, sive ab *hospitibus*, ut quidam volunt, sive a *vini sapore*, quod ibi procreatur, aut ab *herbis*, quod plerisque magis placet; supersedisset, opinor, ea de *Dite*, *Erebo*, aut *Graecis* praefidentius jactitare.

*) *Gobelinus Persona*, Decanus *Bilefeldensis*, et Officialis *Paderbornensis*, postea canonicus regularis in *Bodeken* dioecesis *Paderbornensis* scripsit *cosmodromium* sive chronicon ab orbe condito usque ad annum Christi 1418 per aetates sex digestum, in quo componendo XL. amplius annis operam posuit. Edidit *Henr. Meibomius* cum notis Francof. 1599 fol. unde recudit ejus nepos *Henricus Meibomius Tom. III. script. rer. German. Helmst. 1688.* R.

c) *Frisius* in chronico apud *Ludewigium* (Script. Herbip. 1713 fol.) pag. 196 refert *Celtis* carmina, quae dictis simulacris adscripta erant, atque distinctius locum exprimit, ubi erant collocata. *Conradi*, inquit, *Celtis Verse, so an dem Eck bei den Staffeln oder Graden, wenn man aus dem Dom nach dem Markt gehet, geschrieben stehen:*

Ante gradus cujus veterum simulacra Deorum,
Palladis et Martis signa vetusta manent.

His adjecta erant duo disticha, quae mox subjuncturi sumus (lit. d.) excerpta ex Lib. I. Eleg. XII.

Quando e conspectu hominum sublata ea fuerint veteris superstionis monumenta, aut quo pervenerint, incassum quaesivi.

d) Graecorum in morem quondam vestitos fuisse Francos, quamquam succedentibus annis ab eo cultu deflexerint, l. c. tradit *Celtis*, pergens hunc in modum de suis popularibus canere:

Graecorumque gerunt priscas in corpore vestes
Cum patribus matres, et juvenilis honos:
Quos partim refluo mutavit tempore coelum,
Et partim luxus, vel peregrinus honos.

e) De cantu graeco, quem in Ecclesia *Wirceburgi* obtinuisse sua adhuc aetate testatur *Celtis* Lib. I. Eleg. XII.:

Graecorum linguam genus hodierna tenet.
Nam faciunt lingua Graecorum sacra quotannis,
Et templum Argolicis personat omne modis.

frustra consului *Ussermannum* in Germania sacra Tom. I., ubi episcopatum *Wirceburgensem* describit. Narrat autem *Schellenbergerus* in libro: *Geschichte der Pfarre zu U. L. Frauen in Bamberg*, (bei J. G. Klietsch 1787. 8.) in bibliotheca ecclesiae cathedralis inveniri codicem msc. octo foliorum, hac inscriptione: *Officium Missae graecae.* In fine: 1520. Id officium fuisse cantatum Dominica Quadragesimae, nominatum: *Officium Missae graecae*, quod symbolum etiam graece fuerit cantatum. Hujusmodi institutum seculo decimo quinto etiam *Wirceburgi* viguisse in ecclesia cathedrali, testimonium *Celtis* supra adduetum perhibere videtur.

f) Quae superiore capite not. *c*) adduximus, innuunt, consanguineos, proavosque, unde ortus est, *Celtem Wirceburgi* habuisse, antiqui, neque ignobilis generis. Ait enim, ex illustri civitate *Herbipoli* se genus ducere *longo proavorum stemmate clarum.* In descriptione *Norimbergae* rursus praedicat, ex *Herbipoli sibi originem esse.* Cum vero ex his, quae praecedente capite attulimus, eluceat, eum in civitate natum non esse, consequens est, majores, ad quos provocavit, ibidem sedem habuisse. Quam ob rem a vero haud procul abest *Xystus Schierius*, *) dum in dissertatione msc. de sodalitate litter. Danubiana scribebat: *Sein Vater mag ein Wirzburger gewesen seyn, wenigstens hatte er alldort viele Blutsfreunde.* Id quod de *Heimburgo* mox subjuncturi sumus, *Schierii* dictum magis confirmat, remque omnem collocat extra controversiam.

*) Doctissimi hujus Augustiniani, Viennae in monasterio sui ordinis bibliothecae quondam custodis, et ibidem 1772 defuncti, vitam delineavit, scriptaque admodum numerosa, sive ab ipso auctore, sive post mortem ejus edita, multoque etiam plura ανεκδοτα percensuit *Klüpfelius* in *nova bibliotheca eccles. Friburg. vol. V. fasc. 2.* et rursus in *necrologio.* pag. 8. sqq. R.

g) Erat *Gregorius de Heimburg*, omnium consensione, ortu *Wirceburgensis*, *Celtis* consanguineus, quemadmodum ipse declarat Ode VI. Lib. II.

Sunt, qui jura ferant, et pulchris legibus urbes,
Reges, cum ducibusque gubernent.
Inter quos fueras primus, Heimburge Georgi (Gregori),
Cognato mihi sanguine junctus.

Cognato suo posuit praeterea breve hoc epitaphium, in quo evibrati in eum Vaticani fulminis meminit Epigram. 89. Lib. IV.

Hic jaceo Heimburgus, patriae qui primus in oras
Invexi leges, Caesareosque libros.
Romanae praesul me condemnaverat urbis:
Consilium dixi, quod sibi majus erat.

Quantum *Aeneas Sylvius* dilexerat *Heimburgum*, tum ob studiorum similitudinem, tum ob sententiarum concordiam, amicitia inter utrumque contracta potissimum in concilio *Basileensi;* tantum ab eo fuit alienatus, postquam ad summum pontificatum evectus est, *Pii II.* adscito nomine. Edidit sane adversus ipsum *Bullam*, mutati animi testem locupletissimam; vocat eum *perniciosum Ecclesiae Christi persecutorem*, *hominem pestiferum, sacrorum contemtorem*, *praesumptuosum et praecipitem*, *mendacem*, *temerarium*, *turbulentum*, et *diabolico actum spiritu.* Declarat eum *excommunicatum*, *privandum omni honore*, *ejiciendum ex oppido et dominio Norimbergensi*, cujus erat per annos triginta *Syndicus*, *spoliandum bonis*, *quaecumque habet*, *tam mobilibus*, *quam immobilibus*, *fisco applicandis* (habebat uxorem et liberos) quoniam reus esset laesae *majestatis* atque *haeresis.* Ausus nimirum est, in tuenda causa *Sigismundi* archiducis *Austriae* adversus *Nicolaum Cusanum* Card., *) a sententia Papae appellare ad futurum concilium universale (cujusmodi quidem appellationes in *conventu* (non concilio) *Mantuano* edita *Bulla* prohibuerat haud diu ante *Pius II.*). Atque ea *excommunicationis Bulla* adversus *Heimburgum* data est ad Senatum reipublicae *Norimbergensis*, *Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris* die XVII. Octobris an. 1460, legiturque inter epistolas *Aeneae Sylvii* num. 415. **)

Hoc anathemate perculsus *Heimburgus*, apud suos minime securus, fugit in *Bohemiam ad Georgium Podiebrad* regem. Defuncto rege an. 1471 secessit in *Saxoniam*, mortuus in exilio *Dresdae* an. 1472. O tempora! o mores!

Quicunque de hisce rebus plenius cupit edoceri, adeat *Christ. Aug. Saligii Hist. Conc. Trid.* Tom. I. pag. 10 sqq., ubi etiam exponitur, quid sit de causa *Dietheri* archiepiscopi *Moguntini*, quam pariter adversus Romanae curiae molimina tuendam sibi susceperat *Heimburgus* ***)

*) Quem Pontifex Archiduci episcopum *Brixinensem* invito et reluctanti obtruserat. R.

**) Eandem *vitis German. ICtorum* inseruit *Melchior Adami* in vita *Heimburgi* pag. 2. sqq. R.

***) *Dietherus*, comes ab *Isenburg*, electus archiepiscopus *Moguntinus* in offensionem *Pii* incurrit, eoquod *Annatas*, in Concilio *Basileensi*, ipso *Aenea* operam navante, abolitas damnatasque solvere recusaret. R.

h) Sodalitas litteraria *Rhenana* vitam *C. Celtis* hunc in modum orditur: *Conradus Celtis Protucius, familia Celtica honesta, et apud primores Franciae honorata fuit.* Neque obstat claritati generis id, quod occurrit de parentibus *Celtis* in ejusdem Ode XII. Lib. I. *Nec in urbibus altis notus uterque parens.* Haec enim verba non tam *Celtis* sunt, quam garruli *Vindelici*, qui *Cracoviae Celti* exprobraverat musteam, hesternamve nobilitatem. Eam quidem calumniam refellens *Celtis*, ibidem subdit, *murmura falsa serere* obtrectatorem.

i) *Celtis* patrem colendis vineis dedisse operam, edocet eadem litteraria sodalitas. *Per patrem* namque *a litteris est revocatus, ut vinearum et familiae curam susciperet; cumque in vineam perductus esset etc.* Confirmat id ipsum loci natalis conditio, qui a cultura vinearum unice fere sibi victum quaerit; quemadmodum ad *Conr. Celtem* avunculum suum scribebat *Conradus Wiland* anno 1499. *Si res omnes patriae*, sunt verba *Wilandi, ad te scribere velim, dies non sufficeret. Hoc anno vineae fulmine* (grandine) *percussae omnem victum negarunt; quod maxime infelices facit, quippe omnis spes eorum ex vitis cultura pendet.* Patrem *Celtis* anno 1489 adhuc superstitem fuisse, conjicimus ex *Ode I. Lib. II.*, qua rogat *Hasilinam*, *) ut relicta *Cracovia* urbe patria, secum veniat in *Franciam*. Pollicetur, gratam eam, exspectatamque venturam suis parentibus, ac universae familiae:

Quando de patria prosiliens domo,
Exspectata venis, et mihi charior etc.
Te noster genitor, te genitrix manet,
Et fraterna cohors mixta nepotibus.

Hanc Odam confectam esse a *Celte*, postquam discesserat e *Polonia*, nimirum anno 1489, ex his constabit luculentius, quae de ejus peregrinationibus infra dicturi sumus. Aliam praeterea mentionem de patre suo in scriptis *Celticis* non invenimus; nisi fortasse huc velis revocare, quod canebat *Ode VII. Lib. IV.*, ubi haud obscure gloriatur, tali se patre esse genitum:

Plurimum refert, ubi quis in auras
Tendat, et quali genitore natus.

*) Cujus scilicet amator erat, quemadmodum patet ex Od. III. Lib. I. quae incipit:

Quid me sidereo lumine verberas,
Configens gravibus pectora spiculis?

aliisque locis pluribus. Sed et extat *Hasilinae* epistola ad *Celtem* msc. (Cracoviae 1500.) qua ei perfidiam et ingratitudinem exprobrat. R.

k) Matris propemodum centenariae, quae quartam viderit generationem, meminit *Celtis* Eleg. I. Lib. I.

> *Mater centenos quae quasi impleverat annos,*
> *Et vidit quartam stirpe sua sobolem.*

Videtur *Celtis* hoc distichon, quod haud satis exactum est ad prosodiae regulas, tumultuaria opera addidisse, cum opus hoc elegiacum typothetis procudendum traderet. Desunt sane hi versiculi in codice msc. *Norimbergensi.*

l) Quo loco fuerint res decrepitae matris, copiosius exponit *Conr. Wilandus* in epist. ad *Celtem* an. 1499. *Misera*, inquit, *mater tua, ut audio, mendicare cogitur, quippe ab omnibus derelicta. Sorores tuae juvare eam non possunt. Altera quidem nec obolum habet. Altera, quae mater nostra suavissima est, si forte velit, non audet propter fratres meos. Omnes propinqui fremunt in eam, quia se hereditate debita privatos conqueruntur, et Georgio fratri tuo cuncta est elargita. Quam ob rem ab omnibus jam conspuitur, contemnitur, maledicitur ... fuit quondam ditissima, ab omnibus culta; nunc paene in ipsa patria .. mendicare cogitur, cui nisi subveneris, omnino deserta est.*

Iuvat his adjicere consilium, quod impertitus est *Celti*, ut adjuvaret, servaretque parentem. Scripserat equidem *Celtis* ad *Nicolaum*, plebanum in *Obereisenheim*, eundemque rogavit, ut quandoquidem mittendi pecunias non semper haberet paratam occasionem, interea nomine suo suppeditaret, quibus mater indigeret. Hujusmodi autem dispositione matris inopiae haud satis consultum ratus *Wilandus*, a *Celte* petiit, ut in annos singulos sponderet decem aureos. Promisit, se curaturum, ut de rebus ad usum vitae necessariis ei provideretur, vel in quodam monasterio aut hospitali, vel apud propinquos. Quod posterius ceteris putavit esse praeferendum. *Melius existimo*, inquit, *cum propinquis si maneat, et ipsa libentius habet, quam quod ad aliam veniat familiam. Id consilii mei est. Et si quotannis dictam pecuniam mittes, persuadebo forte patri et fratribus meis, ut domi recipiant hoc anno, et ab urbe Herbipoli revocent, eamque pro sex illis aureis* (supra sermo erat de decem) *hoc anno nutriant. Quodsi futuris temporibus itidem feceris, si ipsa saltem victura est, facient similiter. Sin fidem fregeris, nec subveneris, domo continuo ejicient. Gratis enim pascere non possunt; nam et ipsi egentes, et quo se ipsos sustentent, vix habent. Haec de matre.*

m) Quis, cujusve frugi fuerit *Georgius*, germanus *Celtis*, quave ratione eam in egestatem conjecerit matrem, ex eadem *Wilandi* epistola edocemur. *Frater tuus Georgius*, inquit, *nuper a te reversus, vendita cuncta supellectili et domo, ad Herbipolim cum matre tua senili descendit, ibique delicatissime vixit, omnemque pecu-*

niam, quam ex rebus venditis habuit, ebrietate consumpsit; cumque aes deficeret, et solvendi metae advenissent, creditorem, quem forte obvium habuit, aggreditur .. repugnantemque vulneribus afflixit ... Quaeritur Georgius undique, et tanquam latro publicus censetur; sique captus fuisset, omnium sententia capite punitus esset, sed a proditore quodam certior factus aufugit, et ad quas terras devenit, nulli adhuc hominum apud nos compertum est. Quidam tecum vivere putant, quidam monachum factum asserunt, et religionem, ut vitam redimeret, professum ... Sic ille miseram matrem fugiens Herbipoli dereliquit.

n) Erat *Conradus Wiland*, *Celtis* e sorore nepos, canonicus regularis *Heidenfeldae*, ejusdemque collegii decanus; obiit die XIX. Jan. an. 1535, quaemadmodum ad dictum diem annumque adnotatur in veteri necrologio *Heidenfeldensi* hisce verbis: *Obitus Conradi Wiland* decani hujus ecclesiae. Quam quidem notitiam debeo humanitati *Bernardi Breunig*, ejusdem collegii canonici, qui, dum per litteras haec mihi indicavit, una certiorem fecit, se dolere, de *Conrado Wiland*, aut rebus aliis *Celtem* attinentibus, plura se mihi impertiri haud posse, quod antiquitatis monumenta pleraque sui collegii temporum iniquitate interierint. Ad supplendam itaque, quantum licet, hanc lacunam, ea, quae *Wilandus* in eadem epistola de se commemoravit, juvat his subtexere: *Regularem*, inquit, *vitam professus, quotidie psallo propheticum istud cum veritate promissa: Juravi et statui custodire judicia justitiae tuae, et alium versiculum: Haereditate acquisivi testimonia tua in aeternum propter retributionem. Inclinavi cor meum ad custodiendas justificationes tuas in aeternum, quia exultatio cordis mei sunt etc. Unctus in sacerdotem primitias cum summa rerum magnificentia, in trium magorum festo, magna propinquorum multitudine stipatus, laetissimus cecini.* Postea subdit, de se ipso talia se praedicasse, etsi facile praeviderit, parum placitura esse avunculo, quippe qui gentilium, aut veterum poetarum scriptis magis, aut unice delectetur.

o) De aliis *Celtis* nepotibus, e duabus ejusdem sororibus, mentionem quoque facit in eadem epistola, unde fragmenta plura hucusque attulimus, idem *Wilandus.* Ac primum quidem meminit fratris sui *Nicolai*, quem *Celti*, *Viennae* litteras profitenti, commendat, rogatque, ut, *si domi pati eum non posset, publicam saltem lectionem ei non deneget.* Estque is idem *Nicolaus Wilandus*, cui *Vindobonam* redeunti anno 1507 epistolam tradidit *Joannes Trithemius*, *Celti* perferendam, qua, quae sibi a monachis *Spanheimensibus* mala irrogata sint, latius exponit. Exstat haec epistola inter *Trithemianas* Lib. II. num. 33. De filiis *Georgii* maternarum opum decoctoris, scribit *Wilandus: Pueri sui dispersi sunt, et servire coguntur. Forsan unus tecum est.* De aliis autem ex altera

Celtis sorore natis filiis disserens: *Adolescens Joannes, tuus nepos, quibus in terris erret, nondum comperi. Vivat, ubi detur. Scio, inter omnes esse miserrimum, si in patriam venit. Nec quo* (ubi) *filius sororis alter hospitetur, habet. Alienas domos ingredi necesse est. Si matrem rogabit, ipsa etiam obolo eget.* Commendavit equidem *Celtis* anno 1496 nepotes duos *Theodorico Ulsenio, Norimbergensi* medico; eodemque anno unum e nepotibus commendavit *Valentino Engelhardt*, Conrectori *Bursae Montis Coloniae Agrippinae*, ut ex epistolis msc. tum *Ulsenii*, tum *Engelhardti Geltersheimensis* liquet. Quinam vero ii fuerint, an a supra memoratis distincti, minime apparet. Aeque est obscurum, quo sensu *Celtem* appellaverit *affinem* suum *Petrus Petz*, canonicus *Erfordiensis* in epistola anno 1499 ad eum data.

CAPUT III.

ANNUS ET DIES NATALIS.

Annum natalem *Celtis* quod attinet, edocemur tum a *sodalitate litterdria Rhenana*, *a)* tum ab ipsomet *Celte*, *b)* natum eum esse eodem anno, quo *Maximilianus I.* imperator. Comperimus autem a teste coaevo *Joanne Cuspiniano*, fideli et accurato, editum in lucem esse *Maximilianum* anno 1459. *c)* Quare statuendum est, natalitium *Celtis* annum esse MCCCCLIX aerae christianae. Idem est intelligere ex *Celtis* epitaphio, *d)* unde constat, vivendo eum attigisse annos quadraginta novem. Quodsi ab anno 1508, quo vivere desiit, ordine retrogrado numeramus annos 49, in annum 1459 incidimus. Erravit itaque *sodalitas litter. Rhen.*, *e)* dum annum natalem *Maximiliani* imperatoris et *Conradi Celtis* affixit anno septimo imperii *Friderici III.*, qui, ut rerum intelligentibus compertum est, cadit in annum 1447; quandoquidem pateat, adivisse eum

imperii gubernacula anno 1440. Non minus hallucinatur sodalitas eadem in definiendo natali die *Maximiliani*, dum *Idibus Martii* natum esse pronuntiat. *f*) Cum enim *Celtis* ipse non uno loco luculenter asserat, natum se esse *Calendis Februarii*, *g*) ac diebus quadraginta se praecucurrisse *Maximiliani* Caesaris natalitium diem: *h*) consequens est, natum esse *Maximilianum* non *Idibus*, sed *IV. Idus Martii*, id est, non XV, sed XII. ejusdem mensis. In quo quidem non paucos aberrasse videmus. *i*) Solemne fuisse *Celti*, dare natalitia sua, complura ejusdem carmina testatum faciunt. *k*) Ac is quidem *Celtis* natalis dies inter candidos, ac bene auspicatos numeratus, atque adeo memorabilis visus est hominibus eruditis, ut diem illum in *Calendariis litterariis* appellarent: *natalem renascentium in Germania litterarum*. *l*) Neque *horam* reticuit *Celtis*, qua lucis usuram primum cepit. *m*) Quin diei *conceptionis* semel iterumque fecit mentionem; *n*) ut nihil dicam de concursu siderum, quae nascente ipso, in coelo apparuerant, *o*) quae quidem, hortatu *Fridiani Pighinucii Lucensis*, *p*) sigillatim recensuit, et peculiari elegia decantavit. *q*)

a) In vita *Celtis* a sodalitate litter. Rhenana descripta legitur: *Kalendis Februarii natus fuit, imperatoris Friderici tertii anno septimo, qui annus nativitate Maximiliani insignis Idibus sequentibus Martii fuit.*

b) Celtis annum, quo primam lucem aspexit, eodem fere modo describit Eleg. XII. Lib. I.

> *Maximus* Αιμυλιος, *) *Romani nominis haeres,*
> *Hoc anno* (quo Celtis) *et fausto sidere natus erat.*

*) *Maximum* Αιμυλιον vocat Imperatorem *Maximilianum*, quasi eundem ut *dignitate* maximum, ita *natura* et *moribus* summe humanum ac liberalem. Proprie αἱμυλος vel αἱμυλιος blandum denotat seu affabilem. R.

c) *Joannes Cuspinianus*, qui apud *Maximilianum I.* imperatorem gratia plurimum valuerat, eundemque noverat propius, vitam ipsius ita orditur: *Maximilianus filius fuit Friderici III. imperatoris, ac Leonorae, Eduardi regis Portugalliae filiae, in nova civitate Austriae genitus, anno humanae reparationis quinquagesimo nono post millesimum quadringentesimum XII die Martii.*

d) Sepulchralis inscriptio *Celtis Odis* affixa, ita habet: *Obiit an. Christi M. D. VIII. II. Nonas Februar. vixit ann. XLVIIII dies III.*

e) Verba sodalitatis litt. supra attulimus. Non anno septimo *Friderici* imperatoris natum esse *Maximilianum* (idem dicendum de *Celte*) manifestum est ex eo, quod anno septimo sui imperii necdum junctus fuerit *Fridericus* matrimonio cum *Eleonora*, ex qua genitus est *Maximilianus*. Duxit quippe eam anno 1452, id est, anno duodecimo sui imperii. Cumque natus sit *Maximilianus*, quemadmodum et *Celtis* anno 1459, perspicuum est, utrumque natum esse non septimo, sed decimo nono anno *Friderici*, qui anno 1440 imperare coepit. Unde apparet, non minus hallucinari *Pantaleonem*, dum in Prosopogr. asserit, *Celtem* esse natum an. 1454.

f) Neque recte loquitur eadem litt. sodalitas de natali die *Maximiliani* imperatoris, quem *Idibus* Martii affigit. Non enim ipsis *Idibus*, sed IV Idus Martii primam lucem aspexit *Maximilianus*, velut elucet tum ex verbis *Cuspiniani* supra relatis, tum ex testimonio *Celtis*. Cum enim absque controversia natus sit *Celtis* ipsis Calendis Februarii, ut ex sequentibus patebit luculentius; cumque non minus perspicuum sit, teste eodem *Celte*, ut mox ostensuri sumus, quadragesimo post se die in lucem editum esse *Maximilianum*, consequitur, non XV sed XII mensis Martii natum esse Maximilianum.

g) Odae II libr. III hujusmodi est initium:

Februis natus quid agam Calendis,
Quae mihi primam tribuere lucem,
Septimi lustri mea dum revolvunt
fila sorores?

Idem indicat alia Oda Sapphica, quam concinnabat in natalem diem *Blasii Hoelzel*, Caesari *Maximiliano I.* a consiliis:

Februis natus Blasius Calendis;
Celtis et tali est generatus olim
Luce etc.

Exstat hoc carmen in sylloge, quae prodiit editore *Petro Bonomio* episcopo *Tergestino*, (Trieste) hunc in modum inscripta: *Complurium eruditorum vatum carmina ad magnificum virum Blasium Hölzelium.* Aug. Vind. 1518. 4.

h) Huc spectant *Celtis* versiculi Eleg. XII. Lib. I., ubi, postquam affirmaverat, natum se esse eodem anno, quo *Maximilianus*, subdit:

Nostra quater denis sed praevenit hora diebus
Astra, quibus vitam ceperit ille suam.

i) Supersedemus eorum recitare nomina, qui, in statuendo sive *Maximiliani* sive *Celtis* natali die aut anno, a vero deviarunt: malumus quippe proferre ac stabilire verum, quam multum laborare in refellendo falso.

k) Eo pertinent, quae cecinit Elegia X. Lib. II. cum *Ratisbonae* moraretur, trigesimumque suum natalem ageret:

Quippe ego in hac numero ter denas nocte calendas
Febrilis mensis, dum mihi vita data est.

Eodem revocantur Elegia XII. Lib. III., Ode XVII. Lib. II., et Ode II. Lib. III.

l) *Nicolaus Reusnerus*, *Peutherus*, *Paulus Eber* honorifico eo elogio condecorandum hunc diem existimarunt. Quae quidem eadem dies illustris quoque est ortu *Joannis Trithemii*, qui tribus post *Celtem* annis in lucem est editus, amicissimus *Celti*, eidemque fratris loco habitus. *Genethliaca Celtis* collegit *Joannes Garcaeus* in methodo astrologiae. Conferatur de his *Xystus Schier* in opere msc. de scriptoribus Academiae Vindobonensis art. *Celtis*. Quae cum darem litteris, mentem subiit memoria viri integerrimi *Ernesti Schober Augustiniani*, cujus humanitati hanc notitiam atque monumenta alia, quae *Celtem* attinent, in acceptis refero.

m) *Natalem horam* indicat *Celtis* Elegia I. Lib. I.

Cumque sagittiferi surgebant sidera signi,
Horaque post medium tertia noctis erat;
Tunc mea me genitrix reserata effudit ab alvo,
Et dederat vitae stamina prima meae.

Recte itaque tempus idem, *horamque tertiam* adnotavit vetus scriptor, cujus saepe meminimus cap. I. n. h.; praeeunte sodalitate litt. *Rhenana* in vita *Celtis*.

n) Meminit diei *conceptionis* eadem Elegia:

Principium Majis fuerat tum forte Calendis,
Concepit nostrum dum pia mater onus.

Uti Nativitatis, ita Conceptionis diem celebrasse *Celtem*, apparet ex Elegia XIII. Lib. IV.

Conceptus Majis fueram qui forte Calendis;
*Primae hae natalis, Barbara, *) origo mei.*

Postea hortatur *Barbaram*, ut mensas paret, et pocula ad diem jucunde, hilariterque transigendum.

*) Hanc quoque amabat *Celtis* post *Hasilinam.* Vid. infra Lib. II. cap. 16. R.

o) In codice msc. *Norimbergensi Celtis* poematum occurrit figura, quae oculis objicit siderum eo tempore, quo natus est, synodum aut apparitionem.

p) Erat *Fridianus Pighinucius* natione Italus, Lucensis, *Ernesti* ducis Saxoniae, *Magdeburgensis* archiepiscopi, orator et poeta, conjunctus *Celti* studiorum, ut fit, similitudine. Cetera, quae de eo comperta, ac in promptu habemus, proferemus alibi loco opportuniore.

q) Est Elegia I. Lib. I., cujus hoc est initium:

Sidera, quae nostrae fuerint natalia vitae;
Candide Pignuti, carmine nosse cupis.
Accipe per Latias, vates dignissimus, oras,
Lucanae gentis gloria magna tuae;
Nox erat etc.

CAPUT IV.

NOMINA CELTIS.

Tribus nominibus, quemadmodum poetis illis temporibus familiare erat, *a) Celtem* fuisse usum, liquet tum ex opusculis, quae edidit, tum ex libris aliis, quos habuit. Plerisque enim trinum in fronte nomen adscriptum legitur; videlicet *Conradi Celtis Protucii. b)* In *Conradi*

nomine, quod infans in baptismo tulit, non est, quod haesitemus. Quid vero sit de appellationibus reliquis, controvertitur inter eruditos. Illud duntaxat est exploratum, abdicato patris Theodisco nomine, adoptasse eum nomen *Celtis.* Plerique existimant, *Celtis* patrem appellatum fuisse *Meissel*; cujus quidem opinionis fundamentum sibi videntur invenisse in vocabulo *Celtis*, quod filius paterno nomini subrogavit. *Celtis* enim *scalprum* denotat, seu *caelum* sculptorium, germanice *Meissel*, instrumentum ferreum, quo utuntur artifices ad incidendas ligno, lapidi, aut aeri litteras, omnisque generis figuras alias. Eo quoque trahunt *Theodorici Ulsenii* quoddam distichon in *Celtis* nomen; *c)* ut nihil dicam de conjectura, quam *Xystus Schierius* adfert ex veteri quodam necrologio, qua eandem sententiam confirmari putat. *d)* At rectius videntur ii sentire, qui affirmant, *Celtis* patrem Theodisco vocabulo *Pickel* fuisse appellatum. In quam quidem sententiam eo libentius imus, quod auctoritate *Laurentii Frisii*, scriptoris synchroni atque conterranei, nixam esse intelligamus. *e)* Quibus accedit, quod in numero civium *Wipfeldensium* seculo XV. occurrat nomen *Bickel (Pickel)*, nomen vero *Meissel* nullibi appareat in censu civium. *f)* Nolim his adjungere, quod *Jacobus Kleibertus* contendit, *g)* designari videlicet nomine *Celtis* λαξευτηριον, instrumentum agricolarum, fossorum, lapicidarum, quo humo aut e fodinis lapides eruuntur, *Pickel* appellatum, quam quidem interpretationem suo auctori, ac in medio relinquimus. Longius autem a vero eos abire reor, qui volunt, a *Celtis*, forti quondam strenuoque Germaniae populo id sibi nominis adscivisse *Celtem*. *h)* Repugnat enim vocis terminatio; quandoquidem fere constanter a poeta nostro scriptum legamus non *Celtes* sed *Celtis*, *i)* quod in populum non cadit. *Celtis* vocabulum e Graecia petendum esse, arbitratus est *Xystus Schierius*; at rectius statuunt, qui esse vocem Latinam reputant, quamquam raro obviam. *k)* Obscurior demum est quaestio, quae de nomine *Protucius* agitatur. Plerique, quin indicent, quid sibi velit vocabulum, dissimulando praetereunt. Alii ignorantiam palam profiteri non erubescunt, ut *Zach. Conr. Uffenbachius.* *l)* *Henricus Leonh.*

Schurzfleischius m) opinatus est, id nuncupationis assumtum esse a *Celte* ad occultandam patriam. Contra *Jac. Schopperus* existimavit, ea voce patriam *Celtis* aperte indicari. *n) Schopperum* errantem secuti sunt *Jac. Kleibertus, o) Jo. Georg. Schelhornius* senior, *p) Andr. Willius, q) Georg. Ernestus Waldau, r) Phil. Wilh. Gerken. s)* Quod quidem inane commentum supra refutavimus cap. I. Id quod de vexato *Protucii* vocabulo alibi a nobis relatum est, *t)* paucis hic repeto. Arbitror, vocabulum *Protucius* Graecum esse, compositum ex προ et τυκος aut τυκιον, quod unum idemque est; προ ut graece doctis est compertum, in vocabulorum compositione eminentiam aliquam saepe designat, interdum etiam abundat, praeponiturque euphoniae gratia. Vox graeca τυκος vel τυκιον apud Latinos designat *Celtem*, instrumentum ferreum, de quo supra. Ex τυκος aut τυκιον, mutatis quibusdam litterulis *v* videl. in *u* et *k* in *c*, quemadmodum Latini facere consueverunt, nascitur vocabulum *Tucius*, terminatione masculina latinis usitata, cui si praefigas praepositionem προ *pro*, nomen *Protucius* hinc efformatum habes. Quo quidem factum est, ut bis, id est, non solum latine, sed etiam graece *Pickel* diceretur, eo fere modo, quo *Roterodamus* appellari voluit *Desiderius. Erasmus*, id est, bis *Erasmus*, latine nimirum et graece; qui ante fuerat *Canonicus Regularis*, id est, bis *Regularis*, videlicet graece et latine. Similem tautologiam praefert phrasis: *Loci Topici.* Idem apparet ex vocabulo: *Coturnix*, quod, ut interpretatur *Martinius* pag. 269. lexici philologici Tom. I. compositum est ex κοττος *avis*, et ορνις, itidem *avis*; ut sit quasi avis avium, id est, eximia avis. Quidni id ipsum pari ratione dicere liceat de hisce vocabulis: *Protucius* et *Celtis*? Asserenti, esse subtilius excogitatam hanc interpretandi rationem, non refragabor; tenebo nihilominus, donec meliorem comperero. *u)* Num uno, eodemque tempore haec nomina adoptaverit *Celtis*; an, ut putat *Xystus Schierius*, *Protucii* nomen postea sibi adjecerit, haud satis liquet. Illud novimus, anno 1477, cum albo Academico *Coloniae Agrippinae* juvenis 18 annorum insereretur, *Celtis* nomine jam fuisse usum. *x) Protucii* autem nomen, quan-

tum scimus, primum occurrit *in arte versificandi*, quam in lucem protulit prius, quam ab imperatore lauream coronam ferret. *y)* Nomen *Protucii* displicuisse *Jano Tolopho*, discimus ex ejus epistola ad *Celtem* data anno 1500. *z)*

a) Eam in rem occurrit in *Celtis Rhapsodia* aliquod carmen, hoc praefixo titulo: *Cur poetae trinomines?* Ex eodem opusculo apparet, sodalitatis litterariae et collegii poetici alumnos, *Celtis* discipulos, ibi recensitos, ad unum omnes fuisse trinomines. Errant autem, qui putant, nomine tertio semper patriam designari.

b) Id ipsum constat, tum ex *Celtis* codice msc., qui asservatur in bibliotheca publica civitatis *Norimbergensis*, tum ex libris aliis, qui quondam *Celtis* erant, illatis in Augustam bibliothecam *Vindobonae*. In fronte singulorum passim conspiciuntur verba haec, *Celtis* manu adscripta: *Conradi Celtis Protucii poetae sum.*

c) *Theod. Ulsenii* medici et poetae versiculi, quibus in nomen *Celtis* ludebat, exstant inter episodia, quibus sodalitas litteraria *Danubiana Viennae* excepit anno 1497 adventum *Celtis*, suntque hujusmodi:

Celte tuam silicem caelas, Conrade, rebellem,
Est mea dura silex, nil tua Celtis agit.

Maluit itaque ludere *Ulsenius* in latinum *Celtis* nomen; parum sollicitus de patris nomine *Theodisco*, quod fortassis cum multis ignoraverat.

d) Conjectura, quam adducit *Schierius* in cod. msc. *de scriptoribus Universitatis Vindobonensis*, huc redit: *In exemplari operum Rhoswithae* (sunt verba *Schierii* in vita *Celtis*) *quod asservatur in bibliotheca San-Dorotheana, legitur. Hic liber est monasterii Divae Dorotheae in Vienna Austriae, quem egregius Conradus Celtis Bernardo Praeposito nondum illigatum donavit anno 1506. Fortassis*, pergit *Schierius*, *Celtis quodam consanguinitis lege huic coenobio fuerat adstrictior. Inveni enim in necrologio ejus Sebaldum Meisel, hujus monasterii professum, ut ad XI Kal. Sept. notatur: Dominus Sebaldus Meysl de Weyr, sacristanus ac senior hujus monasterii professus an. 32.* Sed, quidquid sit eo de necrologio, conjecturis locus non datur, cum certior suppetit auctoritas, quam mox proferemus.

e) *Laur. Frisius* apud *J. P. Ludewig* in opere: *Geschichtschreiber von dem Bischoffthum Wirzburg* semel iterumque *Celtem* germanico nomine *Pickel* appel-

lat. Pag. 393 ita habet: *Der vielerfahrne hochgelahrte Poet* ***Conrad Pickel****, Celtis genant, von Wipveld am Mayn.* Pag. 396 eadem repetit: ***Conrad Pickel*** *obgenant, der erste teutsch-gekrönte Poet etc.*

f) ***Nicolaus Müller*** pagi *Wipfeldensis* praetor, data haud ita pridem ad me epistola, testatus est, in actis *Wipfeldensibus* seculo XV. occurrere nomen *Pickel* in numero civium. His similia ante jam edoctus eram a *Jo. Georg. Hubert*, qui paribus mecum studiis quondam addictus erat *Wirceburgi*, post patriae praetor, coram mihi asseverans, in antiquis pagi tabulis legi, qui *Pickel*, nullum, qui *Meissel* appellaretur. Hac quidem aetate nemo ibidem est, qui sit hujus nominis. At in vicino pago *Sommerach* dari, qui eo nomine nuncupentur, lego in *Salisburgensi* diario litterario ann. 1800 pag. 327. Neque est praetermittendum, apud vinitores Francos instrumentum esse familiare, quo utuntur ad defigendos palos, quibus vites adjungantur, vulgo nuncupatum: *Pfahl-Pickel.*

g) In programmate Suinfurti anno 1714 et 1727 in fol. *de Celtis patria et nominibus* in lucem emisso.

h) Ita sensisse *Aldum Manutium*, asserit *Schierius*; quo loco, reticet. Ejus quidem sententiae vestigium aliquod reperi in epistola *Aldi Manutii* ad *Celtem* data *Venetiis* an. 1505; exstatque apud *Melch. Goldastum* in centuria epistolarum philologicarum pag. 76 seq. Illius initium est: *Aldus Manutius Conrado Celtae S. P. D.* At in epistolis aliis *Manutii*, quae suppetunt in codice msc. epistolarum ad *Celtem*, non *Celtae*, sed *Celti* legitur. Suspicari fortassis liceat, vel ab ipso *Celte*, vel ab ejus amanuensi, qui epistolas describebat, eum *Manutii* lapsum fuisse emendatum, ut in apographis jam non appareat. Etsi vero satis constet, id nominis a *Celtarum* populo non traxisse *Celtem;* in *Celtarum* tamen regione natum se esse, ac *Celtam* vel *Celticum* poetam dici se posse, minime negavit; quemadmodum conspicuum est ex ejus carmine ad *Blasium Haelcelium* Lib. IV. od. ult.

> *Dum stas Caesaris ante cultus ora,*
> *Rem gratam facies tuo poetae,*
> *Olim* ***Celtica*** *quem creavit ora,*
> *Si centum numeres mihi ducatos,*
> *Quos Caesar mihi largiter dicavit.*

Germanos ac potissimum Ostrofrancos, *Celtas* olim dictos fuisse, complurium veterum scriptorum testimoniis comprobare nititur *Franciscus Irenicus* Lib. I. *Exegeseos Germaniae* cap. 12.

i) Semel iterumque inveni in opusculis *Celticis* ejus nominis terminationem in *es*, id est *Celtes*; nimirum in *Epitome Rhetorices* mox ab initio, et in *Panegyri ad duces Bavariae Fol. I. averso*: *Conradus Celtes ad lectorem*. Equidem cum litteris graecis exprimeret nomen suum, solebat scribere Κελτης, uti cernitur in duobus epigrammatibus graecis Lib. IV. Epigr. 48 et 49. Latine cum eadem verteret, *Celtis* reddidit in casu nominandi. Unde conficitur, eum η pronuntiasse ut *i*, quod pariter elucet ex Alphabeto graeco, quod libris amorum subtexuit; quamquam in eo pronuntiandi modo nec ipse sibi satis constans fuerit, ut patet ex vocabulo *Celtis* graece scripto.

Quaerenti, cur *Celtis* potius quam *Celtes* nominari voluerit, cum vocis utriusque eadem sit significatio, unum, quod succurrit, reponam, videl. quod aptius reputaverit texendis versibus vocabulum *Celtis*. Pari fere ratione elegit *Henricus* (*Selig*), *Norimbergensis* medicus et poeta, nomen *Euticus*, quia istud, ut scribebat ad *Celtem*, quem in imponendo nomine Baptistam suum dixerat, non tam rebelle versibus esset, quam *Eutyches* vel *Eutychius*. Scripsit hanc epistolam *Euticus Augustae Vindel.*, ubi artem medicam exercebat an. 1493, exstatque in collectione epistolarum msc. ad *Celtem*.

k) Latinae originis vocabulum esse, colligitur ex antiqua inscriptione Romana, in qua legitur:

Malleolo et Celte litteratus silex.

Refert eam *Car. du Cangius* voce *Celtis* etc. Huc pariter facit id, quod vetus interpres latinus habet *Jobi* XIX. 23. 24: *Quis mihi det, ut exarentur sermones mei in libro.... vel Celte sculpantur in silice?* Sive in hac *Jobi* sententia vocabulum *Celte* genuinum sit, velut est probabilius; sive spurium, ut aliis placet, perinde est; neque locus iste probandi vi excidit, quandoquidem negandum non sit, in latinis venerandae antiquitatis codicibus tum *Jobi* ipsius, tum interpretum, *Celtis* vocabulum occurrere, etsi apud probatae latinitatis auctores frustra quaesieris.

l) Quid nomen *Protucius* (*Prothucius*, *Protutius*, *Protuccius*, *Producius*, *Protussius*, *Proteucius*, apud alios scriptum reperio significet, cupiebat edoceri *Zach. Conr. Uffenbachius* ab *Emanuele Webero* professore *Giessensi*. *Pervolutans*, inquit, *his diebus animi relaxandi gratia Conradi Celtis inter primos artis poeticae ac elegantiorum litterarum in Germania nostra restauratores suo jure referendi, carmina; haesi in ejus agnomine Protucius, quae illius ratio sit, plane ignorans. Consului praeter Gundlingii observationes selectas, Henricum Pantaleonem, Melchiorem Adami, Petrum Lambecium,*

aliosque ejus vitam et merita describentes; sed operam perdidi. Tu ergo, ni grave sit, esto mihi Oedipus! Haec scribebat *Uffenbachius* Francofurdia die 30 Oct. ann. 1714. Quid *Weberus* rescripserit, haud constat. Conf. Commercium *Uffenbachianum* Tom. III. pag. 39 seq.

m) Pag. 42. praefationis operum *Rhoswithae*, quae post *Celtem* rursus edidit *Wittenbergae* ann. 1707 in 4.

n) Prologo, quem praemisit *J. Schopperus* chronographiae et historiae germanicae gentis, vernaculo sermone ann. 1582 *Francofurti* in Fol. Plag. C. 2., ubi eos enumeraverat, qui ad illustrandam Germaniae historiam studia sua contulerunt, de *Celte* haec addit: *Conradus Celtes ist bürtig gewesen aus dem Dorff Protuch, bei Schweinfurt gelegen.*

o) In Programm. supra cit.

p) Pro *Webero* responsum daturus *Schelhornius* l. c. Commerc. epist. *Uffenbach.* pag. 40: *Quae,* inquit, *mihi hac de re stet sententia, licet Oedipum me haud esse probe norim, edisseram. Scilicet nomen Protucii, cum nihil plane vel in latina, vel in graeca lingua significet, nec ullius unquam viri celebris, quod ego quidem sciam, fuerit, a quo illud adoptavisse Celtes videri queat; pridem suspicatus sum, id a loco forte natali ab ipso esse adscitum. Nec mea me conjectura fefellit; si vera sint, quae de illo Jac. Schopperus commemorat etc. Fallitur ergo Schurzfleischius etc.*

q) Equidem in lexico erudit. *Norimbergensium* scribebat *Willius* an. 1755. natum esse *Celtem Suinfurti*, quanquam pariter adduceret sententiam de *Wipfelda*; at mutata mente mihi per litteras significavit, locum natalem *Celtis* esse pagum *Protuch.*

r) *Ge. Ern. Waldau* in Symbolis etc. *Beyträge zur Geschichte der Stadt Nürenberg 2ter Band 1787 pag. 235 ait: Der berühmte Conrad Celtis ist nicht in Schweinfurt, sondern in Protuch, einem Dorfe bey dieser Reichsstadt gebohren.* Idem repetit pag. 219. 4ter Band; seductus, ut videtur a *Schoppero* aut *Schelhornio*, hinc deducens nomen *Protucius.*

s) Vide *Gerckenii* iter per Franconiam, ubi agit de *Suinfurto* civitate imp.

t) In epistola ad *Michaelem Feder* de causa dilatae editionis Biographiae *Conr. Celtis* etc. Friburgi 1799. 4.

u) Anonymus quidam *Lipsiensis*, qui in universali indice litterario sub littera *L.* latere maluit, *Celtis* mei, ut ex locis aliis ejusdem indicis constat, perquam studiosus, aliam nominis *Protucius*, itidem ex graeco petitam an. 1799 pag. 110. interpretationem attulit, ratus, nomen esse compositum ex graeco: *πρωτος ὀκ ιος*, *primus*, non *solus*, eo quod primus fuerit poeta laureatus. At piguit, mutata mente, virum eruditum aeque ac ingenuum, traditae expositionis; postquam comperit, nomen *Protucius* a *Celte* fuisse usurpatum prius, quam a Caesare corona poetica donaretur. Confer eam in rem ea, quae in laudato indice. Num. 40. seq. an. leguntur de *Celtis Proseutico*.

x) Quemadmodum perspicuum est ex actis illius academiae, de quibus paulo infra cap. VII. redibit sermo.

y) Quod quidem luculentius constabit, dum illud opusculum ex instituto sumus recensuri.

z) Scribebat *Joannes Tolophus*, Canonicus *Ratisbonensis* ecclesiae, ad *Celtem* hunc in modum: *Cum Musarum cultor sis, Phoebi Dianaeque sacerdos; non Protucium, sed aptius Pegaseum seu Parnasseum appellare, consultum videtur.*

CAPUT V.

INSTITUTIO PUERILIS.

Pauca admodum sunt, quae de *Celtis* prima institutione nobis innotescunt. Ex ipso quidem *Celte* id duntaxat cognovimus, in addiscendis litterarum sementis duro et plagoso quodam *Orbilio*, a quo diu noctuque metueret tergo suo, usum se fuisse. *a*) Sodalitas autem Rhenana litteraria tradit, hausisse eum rudimenta litterarum a *Germano suo Druide*. *b*) Gratius nobis fecissent sodales litterarii, si pro rebus levidensibus aut nu-

tricum fabulis, quas de illius infantia enarrarunt, *c*) disertius nobis indicassent, quis *Germanus ille Druida fuerit*, a quo *Celtem* rudimenta litterarum perdidicisse scribunt; utrum ludimagister, *d*) an frater *Celtis* germanus, *e*) an plebanus, ut tum aetatis loqui solebant, sive parochus, ut nunc vulgo dicimus, id est, religionis minister aut sacrorum antistes, quod quidem nobis vero est similius. *f*) Non elementa solum latini sermonis, verum etiam artem pangendorum carminum atque musicam, cum adhuc versaretur in paternis aedibus, edoctum fuisse *Celtem*, ex nonnullis ejusdem carminibus pronum est conjicere. *g*) Dolendum vero est, quae illorum temporum erat infelicitas, crudis illis ex *Alexandro* fortasse aliquo, *h*) eique similibus paedagogis, qui illis temporibus in usu ac deliciis fuerant apud Germanos, depromptis dapibus oneratum fuisse infartumque docile discendique avidum puerorum ingenium; secus ac sapientes, et de erudienda juventute viri bene meriti praecipiunt, *statim* nimirum *optima ab optimis* discenda esse. *i*) Id, quod addit *sodalitas Rhenana*, celeriter eum arripuisse, quae tradebantur, prodit felicitatem ingenii, industriamque, quae erat in puero, cui si accessisset eximii praeceptoris par diligentia, *k*) via quadam quasi compendiaria ad solidae eruditionis summam celerius emergere potuisset. *l*)

a) Huc spectant ea, quae habet *Elegia IV. Lib. IV.* quam concinnavit, cum quadragesimum aetatis annum ageret:

Bis mihi vigenus hinc currit lubricus annus,
Prima mihi Phoebi visa ubi lampas erat,
Vitalesque vias et respiramina cepi,
Infans maternis pastus ab uberibus.
Ora dehinc rigidi cogebar ferre magistri,
Et ferulam rigidam nocte dieque pati.

b) *Infantia exacta*, verba sunt sodalitatis litterariae, *a germano suo Druide litterarum rudimenta, ut germanorum institutio fert, brevi perdidicit.*

c) *Natus infans*, inquiunt sodales litterarii, *decem diebus continuis incredibiles vagitus edidit, butyro et mellis favo, foco admotus, aegre leniebatur, responsumque est a nutricibus, magnae famae et facundiae virum fore.*

d) Ludimagistrum *Druidis* nomine intelligendum non esse, omnino persuasum habemus; tum quod illo vocabulo apud *Celtem* scriptoresve ei coaevos perpetuo fere non designari comperiamus, nisi sacerdotes, abbates, monachos: tum quod, velut recte observat *Jac. Bruckerus* in vita *Celtis*, ludimagister ruri tum aetatis nòn videatur tantum calluisse latini sermonis, ut *Celtis* ab eo institutus *Coloniam* potuerit demigrare, in numerum academicorum cooptandus.

e) Druidis nomine denotari *Celtis* germanum fratrem, sacerdotio praeditum, affirmat *Xystus Schierius* in opere msc. de sodalitate litteraria *Danubiana.* Fateor me quoque haesisse aliquando in eadem sententia; at, re curatius pensata, coepit displicere id, quod senseram. Nec enim apud *Celtem*, neque in epistolis ad ipsum datis, mentio occurrit aliqua de *Celtis* fratre, qui sacerdos fuerit, aut monachus. Neque est verisimile, ita detonuisse plagis et verberibus fratrem in fratrem, quemadmodum supra de saevitia praeceptoris conquestus est *Celtis.* Videtur tandem innuere contextus sermonis, quo utuntur sodales litterarii, nomine *Germani* indicari nationem. Postquam enim dixerant, *institutum esse Celtem a germano Druide,* mox addunt: *ut Germanorum institutio fert.* Quo fit, ut opinemur, *Germani Druidis* nomine sacerdotem, qui sacris praeest, oportere intelligi. Quis fuerit tum aetatis sacrorum antistes, a quo latini sermonis prima elementa hauserit *Celtis*, frustra quaesivi, deficientibus documentis, quae aetatem illam attinent. E clero seculari fuisse, nullus dubito. Quanquam enim diebus nostris pastorale munus in *Celtis* patria obeat unus e canonicis regularibus *Heydenfeldensis* collegii; seculo tamen quinto decimo, quo vixit *Celtis*, sacra a sacerdotibus nulli ordini monastico, aut insituto simili adstrictis curata ibidem fuisse, dubio carere reputo. Erat certe e numero secularium sacerdotum *Michael Gaertner*, qui ineunte seculo XVII pastorem animarum ibi agebat, quemadmodum perspicuum est ex lapide ejus sepulchrali, posito ante fores ecclesiae, in quo legitur, excessisse eum e vita die 9 Febr. an. 1617.

f) De nomine, instituto, ac migrationibus *Druidum* disserens *Celtis* cap. III. de *Norimberga: Nihil,* inquit, *in hac sylva* (Herciniana) *Druidum coenobiis illustrius est. Genus illud philosophorum apud Gallos graecanice viventium erat, quos παρὰ τῆς δρυος, id est, a quercubus nominavere, inter quas, ut ab illis antiquitus, ut Abrahae et Gedeonis quercus testis est, oracula effundi credebantur: ita illi veluti oraculorum et sortium fulminumque, quorum illa arbor obnoxia, interpretes tales consedebant, quales nudius vidimus ..... Hi quondam apud Gallos sive interpretandae religionis, sive solitudinis gratia, quo expeditiores in inquirendis rerum causis essent,*

in nemoribus et saltibus consedere, multitudinemque vulgi ad se pellexere. Postea autem, cum Tiberius *Caesar ipsos propter factiones, quarum duces erant, Galliis excedere jussisset, illi in Germaniam commigravere, et sub* Carolis, Arnolphis, Ottonibus *Christianam religionem interpretantes, totam Herciniam in amoenis et irriguis vallibus, et aprorum et cervorum saltibus, sub annosis et nigris quercubus, a quibus coenobiorum suorum nomina sunt, occupavere.* Haec quidem eo adducere lubuit, ut pateat, quae fuerint sensa *Celtis* et *Celticae* sodalitatis de nomine *Druidum*, ne cogitemus, per *Druidem* illum, a quo *Celtis* hausit prima litterarum elementa, intelligendum esse ruralem ludimagistrum, sed potius religionis doctorem, et sacrorum ministrum publicum.

g) Supra grammaticae latinae elementa sapuisse *Celtem* a suo *Druide* edoctum, haud obscure innuunt quidam ejus versiculi, quibus indicat, resonante Echo in patria se cecinisse hymnos *Baccho* et *Minervae*; velut Ode VII. Lib. IV. in locum suae nativitatis ludebat:

Hic ego Bacchum, nitidam et Minervam
Barbito molli cecini frequenter,
Vallibus dulcis mihi voce ubi re-
Sponderat Echo.

Elegia quoque XII. Lib. I. *Hasilinam Cracoviensem* alloquens, postquam in laudem suae patriae, quo amicam invitabat, plura attulerat, nonnulla adtexuit de primae suae juventutis studiis:

Elysios credas campos, et amoena piorum
Hic loca, quae Cererem vinaque blanda creant.
Intonsique greges passim per prata vagantur,
Et nemora alituum vocibus alta sonant.
Hic me non lento Phoebus dilexit amore,
Hic dedit et resonis plectra movere jugis.

Ex quibus apparet, inde a pueritia *utriusque musicae* studiosum fuisse; cujus quidem *in omni vita erat pertinax amator*, ut de *Celte* loquitur sodalitas Rhenana.

h) Erat *Alexander de villa Dei* natione Gallus, grammaticus sec. XIII. haud incelebris. Scripsit *Doctrinale puerorum* ligatum versibus. Apud Germanos etiam communi fuisse usui hunc libellum, colligitur ex editionibus non paucis, quae sec. XV. in Germania prodierunt. Quo animo fuerit *Celtis*, meliora edoctus, in id genus opusculi, patet ex epigrammate, quod Rhapsodiae suae attexuit:

Cedat Alexander, cedant puerilia parva,
Nam tenet Austriacas docta Minerva scholas.

i) Eam in rem lectu dignissimus est *Erasmus* in declamatione *de pueris statim ac liberaliter erudiendis.*

k) Errant, qui *Jac. Burckhardi* de fatis ling. lat. pag. 136 ambigua narratione decepti, *Celtem* numerant inter discipulos *Ludovici Dringenbergii, Westphali*, qui sec. XV. *Selestadii* apud Alsatas aperuerat ludum litterarium, ex quo, ut l. c. loquitur *Burckhardus*, longe excellentissimi et celeberrimi progressi sunt viri, qui optimarum artium scientiam, et elegantioris praecipue latinitatis studium per singulas Germaniae superioris provincias disseminarunt. Ut de ceteris taceam, ad refellendum illud commentum vel id solum adnotare sufficiat, a *Jacobo Wimphelingo*, qui alumnus erat *Dringenbergicae* scholae, *Isidonei* cap. XVI. *) nominatim recenseri *Dringenbergii* auditores praecipuos, in quorum tamen censu *Celtis* noster minime comparet; neutiquam praetermittendus, si eo pariter praeceptore fuisset usus in Grammaticae rudimentis rite instituendus.

*) *Isidoneum Germanicum* appellatum esse opusculum ab εισοδος (ingressus s. introitus) et νεος (juvenis) quasi *manuductionem juvenum Germanicorum ad litteras humaniores*, praemissa a *Jacobo Han Argentinensi ad illustrem et clementissimum Principem Dominum Henricum Comitem et Dominum in Hennenberg, Canonicum et Scholasticum illustris ecclesiae Argentinensis* epistola indicat. Tres ejus libelli editiones, earumque duas in bibliotheca Acad. *Friburgensi* exstantes, descripsit *Jos. Anton. Rieggerus* in *amoenit. litter. Friburg. fasc. II. et III.* ubi *de vita et scriptis Wimphelingi* copiose agit. R.

l) Neque latuit *Celtem*, quantum intersit a docto, fideli ac sedulo praeceptore inde a tenera aetate recte institui. Quam ob rem Ode VII. Lib. IV. ita canebat:

Plurimum refert, ubi quis in auras
Tendat, et quali genitore natus,
Quisque praeceptor sua succulenta
Pectora firmet.

CAPUT VI.

CELTIS FUGA EX PATRIA.

Habent patres bene multi id fere sibi proprium, ut cupiant, discere filios eam artem, quam ipsi didicerunt. Modo haud absimili cum parentis erga se animum comparatum intelligeret *Celtis*; nemo non facile perspicit, quam tulerit aegre, dum praevidit, avulsum se iri a studiis litterarum, quibus peculiari quadam naturae propensione, totoque pectore erat addictus. Mirum est, quanquam durum, ut vidimus, expertus fuerit praeceptorem, qui saevitia et verberibus deterruit, propenso in litteras esse animo haud desiisse puerum; velut alii studiorum amorem excutiunt, fastidiuntque libros, ad quos praeceptorum tyrannide, crepitu ferularum, et virgarum strepitu compelli solent. Erat *Celtis* parens culturae vinearum deditus, unde victum sibi suisque parabat. *a*) Sivit equidem, dum erat per aetatem filius imbecillis ac ferendis laboribus rusticanis impar, ut a suo *Druide* latinarum litterarum elementa perdisceret, ne interea inerti otio difflueret, aut vitiis se traderet, quibus eam aetatem fere videmus infici; verum robustiorem factum a Musis revocare decreverat, ut exemplo suo coleret vites, familiamque curaret. Cujus quidem propositi tenax pater in vineam filium adduxit, ut operi assuefaceret. *b*) Is, ut ne cogeretur invitus amplecti vitae genus, quod minime allubesceret; quasi arrepto ex arena consilio, fuga sibi consulendum ratus, e paternis manibus oculisque elabitur, et conscensa etiam *rate*, *c*) secundo *Moeni Rhenique* flumine *Coloniam Agrippinam* defertur. *d*)

a) Vinearum culturae *Celtis* patrem dedisse operam, patet tum ex testimonio sodalitatis litter. Rhen. in vita *Celtis*, tum ex *Wilandi* epistola, cujus ante fecimus mentionem; idemque confirmatur ex versiculis *Celtis*, quos *Cracoviae* pro-

cudit, de vitae aerumnis conquerens, cum esset aegro animo, quod res, ut vellet, non succederent. Poenituit poëtam suscepti instituti, doluitque, quod patris voluntate neglecta, colendis vineis se non addixerit, beatiorem se fore reputans. Eleg. V. Lib. I.

Quam melius fuerat, patriis latuisse sub agris,
Et vitem palo consociasse suo:
Quam tot sollicitos vitae tolerasse labores,
Et semper dominum mentis habere ferum.

b) *Per patrem*, verba sunt sodalitatis litt. l. c. *a litteris revocatus, ut vinearum et familiae curam susciperet; cumque in vineam perductus esset, elapsus nil tale suspicantis patris manibus, ascensaque rate per Moenum Agrippinam Coloniam venit.*

c) *Rate*, non *nave*, ut perperam reddit in vita *Celtis Stumphius* pag. 23. Solent e ditione *Bambergensi* praecipue *Cronacenses* eorumque vicini, detonsas, decorticatasque pinus, unde finitimus mons *pinifer* nomen habet, agere in amnes de monte profluos atque inter se colligare, quas *Flötze* id est *rates* appellant. Hasce rates onerant lapidibus fossilibus *(Schiferstein)*, asseribus, palis, lignisque id genus aliis, quae fabrorum usibus idonea sunt, secundoque *Moeni ac Rheni* flumine, mensibus praesertim aestivis, in Germaniam inferiorem deferuntur. Memini, me puero, accidisse saepius, ut adolescentes, exteras regiones visendi studio accensi, robustiores praecipue, qui in propellendis ratibus utilem possent operam praestare, hujusmodi itineris comites se *Cronacensibus* jungerent, redirentque ad suos itinere pedestri. Ac ea quidem ratione existimandum est, suscepisse *Celtem* illam profectionem, simulasseque similem reditum. Quam ob rem haud est probabile, *Celtem*, cum fugeret, fuisse admodum puerum; sed reputandum potius, fuisse eum adolescentem 16 aut 18 annorum, talem videlicet, a quo utilem *Cronacenses* operam sibi poterant polliceri. Ex quibus conficitur, perperam judicare eos, qui in *Klefekeri* bibliotheca eruditorum praecocium *Celti* locum concedendum esse arbitrantur.

d) Lubet his adnectere juvenilia quaedam carmina, quae in *Celtis* mei fugam olim luseram.

Celtis in vineam a patre perductus.

Quam mihi vilescunt humiles sine vertice colles,
Dum Parnassei cogito celsa jugi.
Praestat pampineis laurus Phoebea coronis:
Istae marcescunt, semper at illa viret.

Curvae animae in terris quaerant tua munera, Bacche,
Spiritus aethereus nobiliora petit.

Celtis fugiens.

Patria chara vale, charique valete parentes,
Aeternumque mihi frater amande vale!
Di nolunt humiles palis me jungere vites,
Nobilior Celtem spiritus intus agit.
Ibo, mentis opes alienis quaerere terris,
Quas licet in patrio non reperire solo.

Fratris paraenesis ad fugientem Celtem.

Quo frater dilecte fugis? cur rura paterna
Deseris? Heu mentem quis malus error agit?
Non revocat retrahitque pii reverentia patris?
Non matris lacrymae, vota precesque tenent?
Quo properas, malesane, levi vacuaque crumena,
Qui non, unde diu vivere detur, habes?
Quis dabit extorri, vitae quod postulat usus,
Languenti quis opem, pharmaca quisve dabit?
Siste pedem, steriles artes Musasque relinque,
Sint procul exitii plurima causa libri!
Linque suos latices Musis, udosque liquores,
Nos recreent Bromii dona beata Dei!
Siste gradum, laetos nobiscum vivito soles,
Ter gratus venies; sit mora nulla, redi.

Celtis responsio.

Non error me coecus agit, sed doctus Apollo
Me dilecta patris linquere rura jubet.
Et me matris amor tenet, et reverentia patris,
Sed plus me flammis urit Apollo suis.
Si cantat vacuus coram latrone viator,
Ut cernis, prodest aere crumena levis.
A superis spero relevamen rebus in arctis,
Nec me Pierides interiisse sinent.

Nec steriles artes, vanas nec dicito Musas;
Musae dant nomen, perpetuumque decus.
Aonidum latices pariuntque foventque Sophiam,
Sed gignunt Bacchi pocula stultitiam.
Veridicus fert sermo: trahit sua quemque voluptas.
Sunt Musae ludus deliciaeque meae.

Apollo ad ratem, qua Celtis vehebatur.

Felix esto tuus, ratis o ditissima, cursus,
Quae fers Teutonici spemque, decusque soli.
Fers puerum, quem Phoebus amat, dulcisque Thalia,
Alitibus natum, sideribusque bonis.
Hoc duce Teutoniae resonabunt docta Lycea
Hebraicis, Latiis, Argolicisque modis.
Foedam barbariem patriis depellet ab oris,
Qua pestis nulla est, deteriorque lues.
Ito bonis avibus, peregrinaque littora vise,
Quae fuerint Musis non inimica meis.
Fac, vada devites, cave rupi allisa fatiscas,
Sed faustus tuto tramite cursus eat!
Non tempestatem cieant Eurusque Notusque,
Praelia non moveant exitiosa rati.
Najades faveant fluvialia numina Moeni,
Auraque susceptum prona secundet iter!

CAPUT VII.

STUDIORUM CONTINUATIO COLONIAE AGRIPPINAE.

Quae in patria orsus erat *Celtis* litterarum studia, *Coloniae Agrippinae* continuavit, quin calcaribus haberet opus, sponte currens. Inscriptus est albo academico an. 1477 die honoribus sancti *Dionysii* martyris sacro. *a*) Cui potissimum arti vel scientiae novus advena apud *Agrippinenses* operam dederit, haud satis liquet. Affirmant simpliciter, qui *Celtis* vitam tradidere litteris sodales litterarii, *liberalibus studiis* eum apud *Ubios* vacasse, et *aliquamdiu Theologiae. b*) Arti *poeticae* et *oratoriae* illum ibi navasse operam, verisimile est. *Dialecticam, Metaphysicam*, una cum *Physica* se ibidem percepisse, *Celtis* ipse testatur. *d*) Quam vero tum fuerit in *Coloniensibus* scholis perversa docendi discendique ratio, carmine peculiari idem enarrat. Queritur, fuisse neminem, qui *grammatices* latinae elementa apte, ut par est, traderet; neminem qui *artis oratoriae* praecepta rite profiteretur. Asserit, divinam jacere *poesin*, ac esse contemptum *Maronem* una cum *Tullio*. Dolet et indignatur, *Mathesin* et *Astronomiam* disciplinas esse apud *Colonienses* incognitas; dominari in scholis rixosam ac captiosam *Dialecticen*, *e*) primasque tenere in *Physicis institutionibus Albertum f*) et *Thomam*. Neque mitius post *Celtem* de *Coloniensium* studiis judicium tulit *Erasmus*. g) Quibus magistris (certe non optimis) *Coloniae* usus fuerit, nosse parum quidem refert. Quorum demum liberalitate aut sumptibus juvenis peregrinus et fugitivus *Coloniae* sit sublevatus, ut haberet, unde viveret; certi nihil, quod dicamus, suppetit. *h*) Exegisse eum *Coloniae* annos septem, satis quidem apertum esse arbitramur. *i*)

a) In actis Academiae *Coloniensis*, quae titulum praeferunt: *Haec est matricula tertia universitatis studii Coloniensis, quae incepit in rectoria Vener. Viri Magistri Joan-*

nis Peregrini a Berxa etc. anno Domini 1466, haec leguntur ad annum 1477: *In die S. Dionysii martyris etc. Conradus Zeltes non juravit, quia minorennis est; et Dominus Andreas de Thenlohen, Baccalaureus, in Theologia formatus, fide jussit pro eo in forma consueta; et quia medius pauper fuit, solvit 8 Schilling.* Hanc quidem notitiam in acceptis refero *Thaddaeo Dereser*, professori antea *Bonnensi*, deinde *Heidelbergensi* *), qui, velut die 4 Junii an. 1802 mihi per literas significavit, nuper cum esset *Coloniae*, illius matriculam inspexit, ac id, quod Celtem attinet, in usus meos excerpsit, amanterque mecum communicavit. Neque turbet quempiam, legi in *Coloniensibus* actis non *Celtes*, sed *Zeltes;* hoc enim eodem modo exaratum visitur ejus nomen in *Viennensibus* actis, quemadmodum certiorem me fecit *Thomas Dolliner*, in Academia *Theresiana Vienn.* juris *publici* **) professor. In promptu pariter mihi est effigies Celtis, incisa aeri, inscriptaque: *Conradus Zeltis Protucius etc.* Eandem tabulam exhibet *G. W. Panzerus* inscriptam *Zeltes.* Vid. *Verzeichniſs der Nürnberg. Portraits* pag. 31.

*) Postea *Friburgensi*, et post varios casus nunc canonico et theologiae professori *Uratislaviensi.* R.

**) Hodie juris *ecclesiastici* in communi litterarum Universitate. R.

b) *Coloniae*, inquiunt, *liberalibus studiis et Theologiae aliquamdiu vacavit.*

c) Erat adolescens 17 aut 18 annorum, dum e solo patrio aufugit, grammaticae latinae praeceptis a *germano suo Druide* satis, ut videtur, instructus. Quare judicamus, ad artem oratoriam et poeticam perdiscendam, dum venit *Coloniam*, animum applicuisse.

d) Ode XXI. Lib. III. ad *Wilhelmum Mammerlochium*, *Agrippinatem*, genere nobilem, suum condiscipulum in addiscenda *Coloniae* Dialectica, Metaphysica et Physica, ita canit:

Wilhelme, Agrippae moenibus editus,
Per prisca nobis stemmata cognitus,
Romana quae quondam tuae urbis
Gloria contulerat colonis.

In urbe tecum hac condidici vagas
Inferre fraudes per συλλογιστικους
Nexus, quod et contentioso
Tradidit Dialexis ore.

*Primaeque tecum hac prendideram *) sacros*
Libros Sophiae; tunc mihi cognitum,
Albertus, et quid Thomas alti
In physicis docuere rebus.

*) *Prendidi* a *prendo* laudatur ex *Silio* 15. 635 de *telo: Fert letum cuicunque viro, quem prendidit ictus.* Sed diu est, cum ex MSS. restitutum est: *prenderit.* R.

e) In eodem ad *Mammerlochium* carmine pergit describere tristem rei litterariae statum apud *Colonienses:*

Nemo hic latinam grammaticam docet,
Nec expolitis Rhetoribus studet;
Mathesis ignota est, figuris
Quidque sacris numeris recludit.

Nemo hic per axem candida sidera
Inquirit; aut quae cardinibus vagis
Moventur, aut quid doctus alta
Contineat Ptolomaeus arte,

Ridentur illic docta poemata;
Maronianos et Ciceronios
Libros verentur, tanquam Apella
Carne timet stomacho suilla.

f) De *Alberto M.* honorificentius sensit, summisque eum Philosophis, *Ptolomaeo, Platoni* etc. parem posuit; velut apparet ex iconismo, quo exhibetur imago Philosophiae, praefixa libro I. Amorum. Meminit ejusdem non sine laudis significatione Epigrammate LXXVI. Lib. II:

Ingenio cujus totus se praebuit orbis,
Et patefacta vagi sydera cuncta poli;
Quidquid habet tellus, mareque, et quod concipit aer,
Ingenio nobis prodidit ille suo.
Ergo age. doctrinam quam vis cognoscere veram,
Alberti Magni candida scripta legas:
Seu Logicen, Physicenque petas, seu noscere morbos,
Interpres verorum hic tibi semper erit.

g) *Erasmus* an. 1519 ad *Petrum Mosellanum* scribebat: *Schola Coloniensis semper habuit pertinacissimos malarum litterarum propugnatores.* Et an. 1521 in epi-

stola ad *Ludovicum Vivem:* *Coloniae*, inquit, *nescio quo fato*, *nunquam in pretio fuerunt mansuetiora studia*, *quod illic*, *ut audio*, *regnant examina Dominicanorum* et *Franciscanorum.* Erant ea aetate, si *Erasmum* audimus, quemadmodum saepe conqueritur, potissimum in epistolis, Theologiae studia nimium prolapsa ad inanium quaestionum argutias; referta, horrida Scoticis, spinosis, sophisticisque nugis, quae plus habent ostentationis, quam pietatis, aliena a puris verbi divini fontibus. Ea cum fuerit studii theologici facies, mirum non est, *Celtem*, cui natura excelsum dederat, ac meliore de luto ingenium, stomacho fastidiente id genus dapes rejecisse, atque e theologicis scholis, quibus se *aliquamdiu* apud *Colonienses* addixerat, retraxisse pedem, litterariam penum, quae magis ad palatum esset, alibi quaesiturus.

h) Quidquid sit de magistris diversarum artium ac scientiarum, quibus *Celtis Coloniae* est usus; rationem, qua ibi est alitus, quod attinet, existimandum non est, fuisse eum a patre ita derelictum, ut omnem ejus curam abjiceret. Sic enim statuo: posteaquam cognoverat parens, constans esse ac pertinax filii propositum in colendis litterarum studiis, a quibus nullo pacto avelli possit, non denegasse videtur, quae filio erant ad vitam necessaria. Non fuisse *Celtem* insignis cujusdam patroni munificentia *Coloniae* sustentatum, inde conjectare licet, quod nullum in ejus libris carmen sit obvium, quo celebrarit Maecenatem quemdam *Coloniensem*, cujus liberalitate vixerit. Perpetuo autem hoc sibi familiare habuit, ut carminibus celebraret nomina eorum, a quibus fuerat affectus beneficiis. Scribitur praeterea, quod huic conjecturae robur addit, in actis *Coloniensibus*, *medius pauper*, solvitque nummulos inscriptionis causa debitos. Unde non opinamur, paterna ope fuisse prorsus destitutum.

i) Ut enim acta *Coloniensia* perhibent, venit *Celtis Coloniam* an. 1477 albo academico insertus. Cumque anno 1484 nomen suum *Heidelbergensi* Academiae dederit, velut ex dicendis elucebit; facile hinc conficitur, quantum temporis *Coloniae* litterarum studiis dederit.

CAPUT VIII.

STUDIORUM CONTINUATIO HEIDELBERGAE.

Relicta *Colonia*, ubi studiorum causa annos septem consederat, *Heidelbergam* migravit, *a)* inter illius Academiae cives cooptatus an. 1484. *b)* Ut illuc iret, fuit excitatus tum illustri nomine *Joannis Dalburgii*, notaque ejus in litterarum studiosos munifica liberalitate, *c)* tum *Rudolphi Agricolae* fama, reviviscentium meliorum litterarum in Germania restauratoris praecipui, *d)* qui tum temporis *Heidelbergae* degebat; illuc accersitus a *Joanne Dalburgio*, et *Theodorico de Pleningen*, quem *Plinium* vocabant, sociis quondam litterariis *Ferrariae*, *Rud. Agricolae* amicissimis. *e)* Neque sua exspectatione frustratum se vidit novus advena, expertus namque est in *Joanne Dalburgio* beneficum *Maecenatem*, *f)* in *Rudolpho* autem *Agricola* fidum ducem et praeceptorem optimum; quo feliciter usus est tum in rite percipiendis oratoriae et poeticae artis solidis institutionibus, tum in addiscendis graecae hebraicaeque linguae elementis, quemadmodum tradit litteraria sodalitas, g) atque *Celtis* ipse grato memorique animo palam contestatur. *h)*

a) *Celtem* ponit inter discipulos *Ludovici Dringenbergii* praeter *Burkhardum* (*supra cap. V. not. k.*) etiam professor *Goettingensis Christophorus Meiners* pag. 369. Vol. II. Biogr. etc. *Lebensbeschreibungen berühmter Männer*. Quod verum si foret, non iviset *Celtis Colonia Heidelbergam*, sed *Selestadium* in Alsatia, ubi *Dringenbergius*, *Westphalus*, annos quadraginta humaniores litteras professus est. At huic asserto, quod nullo idoneo teste comprobari potest, merito denegamus assensum. Falso quidem *Goettingensis* Biographus provocat ad *Jacobi Wimphelingii* authoritatem, quam potius sibi adversam habet; quemadmodum ex his apparet, quae supra cap. V. litt. k, notavimus. *)

S

*) Laudantur a *Wimphelingo* inter praecipuos *Dringenbergii* discipulos *Jacobus Pavo*, *Rietpurgius Spirensis canonicus et Scholasticus*, *Joannes Torrentinus*, *Petrus Schottus*, *et Jacobus Delphinus*, *ambo Argentinenses*, *Sebastianus Murrho Colmariensis*, *Joannes Multor*, *Badensis Decanus*, *Jodocus Gallus*, *Rubiacensis theologus*; *Florentius Hundius*; *Joannes Hugo*, *Sletstatinus*, *sacerdotes;* addit tamen: *ceterique paene innumeri.* R.

b) Anno 1484 *Celtem* albo academico *Heidelbergae* nomen dedisse, acta perhibent illius Academiae. In iis enim ad dictum annum legitur: *Conradus Celtis Franco*, *insignis poeta et polyhistor.* Quae quidem verba posteriora manu recentiore addita esse, suspicamur. Inscriptus autem est rectore magnifico *Erhardo Heger*, de *Grüningen*, velut mihi per litteras significavit *Joannes a S. Cruce*, Carmelitanus, Theologiae ibidem professor. Adiit autem *Hegerus* artium magister et Theologiae Baccalaureus, rectoris academici munus an. 1484 in vigilia *S. Joannis Baptistae*, uti constat ex *syllabo rectorum Universitatis Heidelbergensis*, edito a *Joanne Schwab*, philosophiae professore an. 1786. 4. Unde conficitur, mensibus aestivis anno 1484 *Celtem Heidelbergam adventasse.*

c) *Joannes Dalburgius* in percipiendis melioribus litteris apud Italos auditor exulum Graecorum, qui *Ferrariae* docebant, post episcopus *Wormatiensis*, et *Philippi* comitis *Palatini* cancellarius, vir graece et latine probe doctus, ac multiplici ornatus eruditione; hominum, qui doctrinae fama inclaruerant, juvenumque, de quibus bene sperare liceret, amantissimus, studiosissimusque provehendae in melius rei litterariae apud Germanos, *Rudolphum Agricolam*, inita apud Italos amicitia sibi conjunctum, *Heidelbergam* accersivit, ut meliorem Germanis gustum de elegantioribus studiis inferret. *Dalburgii* patroni sui vitam et laudes enarravit *Celtis* Ode I. Lib. III., quae incipit: *Dudum calenti pectoris impetu.* Quam vero graviter tulerit illius obitum an. 1503, cognoscimus ex *Bilib. Pirckheimeri* epistola eodem anno ad *Celtem* data. Biographiam *Jo. Dalburgii* luci exposuit an. 1789, auctioremque vulgavit an. 1796, et rursus 1798 *G. Wilhelmus Zapfius*, sermone vernaculo.

d) Missis eximiis laudum encomiis, quibus eruditi cumularunt *Rudolphum Agricolam*, inprimis *Erasmus*, *Hermolaus Barbarus* et *Melanchthon*, justi ingeniorum aestimatores; nonnulla commemorare hoc loco solum lubet, quae de eo *Celtis* intexuit suis carminibus. Elegia II. Lib. II., qua describit suum iter ad mare *Balticum*, refert, se peragrasse *Frisiam*,

Qua Gronigen magna notum est super aethera fama,
Rudolphi Agricolae patria terra mei.

Liber inscriptus: *Rudolphi Agricolae Phrisii lucubrationes, Coloniae apud Joannem Gymnicum* an. 1529, hoc praefert elogium, quo *Celtis* suum magistrum decoravit:

Tribus poetis frisia nobilis.
Claret Rodolphus primus Agricola,
Qui graeca miscebat latinis,
Et cythara cecinit canora
Rheni per urbes, atque per Italas,
Notusque Gallis atque Britannicis,
Et qua tumescit fluctuosus
Danubius bibulus arenis.

e) Abhorrebat *Rud. Agricola* a publico docendi munere, neque erat in academia *Heidelbergensi* professor ordinarius. Libertatis enim plus aequo amans, conduci se non est passus, neque obligari stipendio publico ad tradendas liberales disciplinas. Docuit itaque pro lubitu, quos, et quando voluit, sive *Heidelbergae* sive *Wormatiae*, comitatus episcopum, apud quem hospitari solebat.

f) Quam erga se beneficum habuerit *Jo. Dalburgium*, quod se, suaque omnia huic Maecenati debeat, declarat *Celtis* locis plurimis. Satis sit in rei confirmationem Strophas posteriores Od. I. ad *J. Dalburgium* ex Lib. III. huc transferre.

Haec pauca nostro lusimus otio,
Praesul, calenti carmina spiritu,
Cui quidquid est rerum mearum,
Jure tuis datur omne jussis.

Rerum mearum praesidium manes,
Qui nostra solus carmina promoves,
Dabisque ventos, ut quietum
Accipiant mea vela portum.

g) De studiis, quibus *Celtis Heidelbergae* excultus est, ita habent sodales litterarii: *Motus fama Joannis Dalburgii, Vangionum episcopi, et Rudolphi Agricolae Heidelbergam adiit, ibique oratoriam et poeticam cum linguae graecae et hebraicae praegustamentis hausit.*

h) Obitum *Rud. Agricolae* deflens, quid ab eo praeceptore didicerit, exponit discipulus non ingratus elegidio, quod est praefixum *arti versificandi Celtis.* Canit inter alia de magistro recens vita functo:

Qui secum placidas abduxit vertice Musas
Aonio, meque his Heideleberge fovens;
Quique mihi tribuit aliena idiomata, Graecos
Noscere, et Hebraeos doctus utrosque legens;
Cui lacera indignae ruperunt fila sorores,
Rudolphum Agricolam fac Deus arce beet!

Obiit *Rud. Agricola Heidelbergae* an. 1485 die 28 Octobris, annos natus 42, tumulatus apud *Minoritas*, teste *Melchiore Adami* professore quondam *Heidelbergensi* in ejus vita. Annus, mensis et dies ejus emortualis pariter intelligitur ex epitaphio, quod defuncto posuit *Viglius Zuichemus*, exhibeturque a *G. W. Zapfio* pag. 234 in vita *Jo. Dalburgii.* Quare mirari subit, qui scribere potuerit *Chr. Meiners* pag. 349 Voll. II. *Lebensbeschreibung berühmter Männer*, mensem et diem, quo *R. Agricola* vitam finiit, ignorari.

LIBRI I.

CAPUT IX.

CELTIS STUDIUM VISENDI ALIAS GERMANIAE ACADEMIAS.

Opibus litterariis *Heidelbergae* satis instructus, alias Germaniae academias *Celtis* adire constituit. Perrexit itaque *Erfordiam*, *Lipsiam* et *Rostochiam*, veteres Musarum sedes. Erat nimirum avidus cognoscendi, quo essent loco in illis Athenaeis optimarum artium studia; quae potissimum ibi florerent disciplinae; qua traderentur methodo, quibusve magistris. Peroptabat nosse, et audire viros doctrinae fama celebres, eosque revereri coram, atque amicitiae foedus cum illis jungere. Habebat non minus in animo, edere apud alios doctrinae specimen, quam a *Rud. Agricola* condidicerat, viaticumque docendo sibi aliquod emereri, ut, quam destinaverat, profectionem in Italiam suscipere, tuerique posset. Quibus annis dictas Germaniae academias viserit, quamdiu in singulis sit moratus, quo demum modo fuerit hic ibi receptus, *sodalitas litteraria* nullo verbo declarat, contenta dicere, in tribus nominatis studiorum universitatibus *Celtem* ex institutione litterariae juventutis non paucos nummulos collegisse. *a*) Neque ad eam, quam in tribus academiis traxerat, illustrandam commorationem multum est aliunde luminis, aut subsidii. *Erfordiae* in albo academico *Celtis* nomen non legi, neque in illius academiae actis quidquam de eo occurrere, amicorum litteris comperi. Quod in *Petri Pezii* epistola refertur, non attinet nisi contubernales et amicos, quos *Celtis Erfordiae* sibi habuit familiares. *b*) *Lipsiae* primum fuisse *Celtem*, qui latinam linguam una cum litteris graecis accuratius traderet, ex *Jo.*

Burc. Menckenii dissertationibus edocemur. *c*) *Artem versificandi*, cum apud *Lipsienses* versaretur, se composuisse, testem habemus ipsummet *Celtem. d*) Venisse eum in otio illo litterario in amicitiam *Mart. Mellerstadii* et *Frid. Pighinucii*, satis probabiliter affirmare licet. *e*) Tristius est, quod *Lipsiae Celti* accidit, nimirum eum, optime meritum, a *Lipsiensibus* doctoribus, veteri assuetis vappae, aut invidiae morbo aestuantibus, quasi cum ignominia fuisse ejectum ac pulsum civitate. *f*) De *Rostochiensi* demum *Celtis* mora nihil habeo, quod addam, nisi, teste *Davide Chytraeo*, *Celtem* academiam *Rostochianam* sua doctrina illustrasse. g)

a) *Mox*, ubi *Heidelberga* demigravit, *per Erfordensium, Lipsensium, Rostocensium gymnasium iter corripiens, non parvas pecunias docendo conquisivit.* Verba sunt sod. litt. in vita *Celtis.*

b) Ex collectione epist. amicorum ad *Celtem*, quae nobis in promptu est, cognitum habemus, *Petrum Petz* collegio canonicorum *ad gradus B. V. Mariae Erfordiae* adscriptum fuisse. In epistola an. 1494 ad *Celtem* exarata, vocat eum suum *affinem*, suumque in ea civitate olim *convictorem.* Certiorem illum facit de rebus suis; rogat, ut, si *Erfordiam* redire contigerit, apud se divertat in aedibus prope scholam *Juristarum.* Mentionem injicit de *Mag. Lohrer*, *Mag. Ussfeld*, Doctore *Heinrich Canonico*, et *Bavaro Rotorio* etc., quorum familiaritate et amicitia quondam *Erfordiae Celtis* erat usus.

c) Inter dissertationes *Jo. Burc. Menckenii*, quas filius ejus *Otko* collegit, et *Lipsiae* an. 1734 edidit, sexta est, in qua de *Celte* haec leguntur pag. 243. aphorismo V: *Primus utramque linguam paulo curatius in Misnia Lipsiae tradidit Conradus Celtis . . . . Primum horum, quorum opera litterae in patria nostra instauratae sunt, Conradum Celtem fuisse existimo, idque traditum invenio . . . . . Pensitatis rite singulis, subductisque probe rationibus, facile conficitur, eum diu ante reliquos ad Italicam indolem edoctos, hic praecepisse, et luculenter demonstrasse, se genuinum Rudolphi Agricolae et Joannis Dalburgii discipulum esse.* §. XV. *Coeptum a Celte opus continuavit Hermannus Buschius.* *)

*) *H. Buschius (von dem Busche) Sassenborgi*, arce *Monasteriensis* episcopatus, nobili genere natus 1468, eruditionem suam potissimum in acceptis referebat *Alexandro Hegio*, qui Daventriae scholam constituerat, ex qua prodiere viri praestantissimi, et de suscitandis litterarum studiis optime promeriti, quos inter facile principes erant *Erasmus Roterodamus*, et *Hermannus Buschius.* Hic anno circiter 1486 et ipse Italiam petiit, unde amplissima rerum scientia

instructus cum rediisset, non solum in inferiori Germania barbariam fugare pro virili adlaboravit, sed et in pluribus superioris Germaniae academiis auctores, quos vocamus, classicos scite adeo et dilucide interpretatus est, ut quam plurimi, sordium denique pertaesi, meliora addiscendi cupiditate afficerentur. Tanta enim erat in explanandis *Ciceronis* epistolis, *Caesaris* commentariis, *Virgilii*, *Ovidii*, *Juvenalis* cet. poëmatis *Buschii* dexteritas, tanta oris et eloquii suavitas, ut studiosos, ad audiendum eum confluentes, auditorium, licet amplum satis, non caperet. Quare nemini mirum videri debet, si aeque, ac ceteri bonarum litterarum defensores, infestissimos ubique hostes expertus est, qui non solum *Lipsia*, sed et *Rostochio*, et *Colonia*, atque hac quidem urbe bis, excedere, aliasque sedes quaerere eum coegerunt. Inter multa et praeclara ejus opera facile eminet *Vallum humanitatis* sive humaniorum litterarum contra obtrectatores vindiciae, quas ex consilio *Erasmi* a stili acerbitate prius temperatas edidit Colon. 1518. 4. Librum memorabilem ab oblivionis injuria asseruit, eique, praeter auctoris vitam, *Germaniae equitem, acerrimum humanitatis propugnatorem, ex historia adumbratum,* praemisit *Jacobus Burckhardus* Frf. 1719. 8., quem adeat, cui amplius libet. Id unum addo, *Buschium* diem obiisse a. 1534. R.

d) In epistola nuncupatoria ad *Fridericum* Saxoniae ducem exprimit *Celtis locum,* et *anni tempus*, quo eum libellum, laboris litterarii primitias, elucubravit: *Artem carminum*, inquit, *quam tui nominis auspicio, in studio Lipsiensi, gravi Cancri aestuante sidere, lusimus, jam tuo nomini clarissimo dedicamus. Tempus* pariter indicat carmini arti versificandi praefixus titulus: *Poema, quod pro tempore caniculari ad Fridericum . . in artem carminum lusimus. Locum* autem innuit ejusdem carminis versiculus antepenultimus: *Lipsensis sed et ipse vale suavissime lector. Annum* pariter, quo *Celtis Lipsiae* fuit, ex epigrammate colligimus *arti versificandi* praevio (vid. cap. super. not. *h*), quo mortem dolet *Rudolphi Agricolae*, haud diu ante vita functi, beatamque illi vitam a Deo precatur. Cum enim is diem suum obierit anno 1485 mense Octobri; anno proximo, nimirum 1486 aestivis mensibus, hunc libellum esse compositum, absque ulla dubitatione persuasum habemus. Neque ab hac sententia alienus est *F. O. Menckenius* pag. 309, seqq. vol. VII. *Miscell. Lips. Nov.*, ubi *Celtis artem versificandi* accuratius recenset. *)

*) Plura de eodem libello infra *lib. II. cap. I.* R.

e) Amicitiae inter *Mart. Mellerstadium*, *Frid. Pighinucium*, atque *Celtem* contractae apparent initia ex opusculo *Celtis de arte versificandi.* A *Mellerstadio* enim *Friderici*, ducis Saxonici medico, quemadmodum ex epistola nuncupatoria constat, edoctus est *Celtis*, huic principi maxime in deliciis esse car-

mina poetarum; eidemque Maecenati ob poeticae artis facultatem haud dubie commendatus. De *Mellerstadio* vix silent litteratores, qui sunt alicujus nominis. *) Ignotior apud plerosque est *Fr. Pighinucius*, natione Italus, patria *Lucensis*, presbyter, poeta et orator *Ernesti* Saxoniae ducis, archiepiscopi *Magdeburgensis*, *Lucii Flori* epitomatoris de rebus Romanis Lipsiae editor an. 1480 in 4. *Celtem* inter et *Pighinucium* conjunctionem arctam intercessisse, produnt tum mutua carmina, quibus inter se certarunt, quorum pars aliqua occurrit in libello *de arte versificandi*; tum epistolae utriusque, quae nobis sunt in promtu. Alia de *Pighinucio* reperire est apud *Menckenium* l. c., quae suo loco proferemus. **)

*) *Martinus Pollichius*, *Mellerstadius* a *Mellerstadio*, Franconiae urbe dictus, magister Lipsiensis, D. Thomam per annos fere viginti interpretatus est; post ad medicinam animum adplicuit, et *Friderici Sapientis*, Electoris Saxoniae, archiater factus, cum ipso in terram sanctam peregrinatum abiit, unde redux Elector Academiam *Wittebergensem* fundavit, et *Mellerstadium*, cujus potissimum suasu id consilium ceperat, primum ejus rectorem constituit. Quare *Christophorus Scheurlius*, Patricius Norimbergensis, et juris in recens condita Academia professor non obscurus, in oratione, quam 1507 habuit, *Mellerstadium artium, medicinarum et theologiae doctorem illustrem, theologorum decanum, universitatis primum rectorem, et vicecancellarium perpetuum excellentissimumque* nuncupavit. Equidem *Joa. Conr. Dietericus*, Professor L. Gr. et Superintendens Giefsensis (mort. 1635.) in dissert. *de infelicitate seculi superioris* (XVI.) *in graecarum litterarum ignoratione*, ostendit, *Mellerstadium* graeca logices vocabula enarrando ita hallucinatum esse, ut vel ex ima plebe philosophum seculi XVII. puduisset. Verum qualiscunque fuerit in *Mellerstadio* graeci sermonis cognitio, non debet propterea debita eruditionis laude fraudari, aut indignus haberi, qui et a *Friderico sapiente*, quo, judice *Melanchthone*, nemo Principum aut melius novit ingenia, aut benignius aluit, summa coleretur observantia, et in sodalitatem *Celticam*, cujus scilicet stabiliendae *Celtis* auctor, *Dalburgius* autem, episcopus *Wormatiensis*, caput extitere, cooptaretur. Universim cogitandum est: *Esse aliquid prodire tenus, si non datur ultra.* — Opera *Mellerstadii* cum edita, tum in bibliothecis abdita recenset *Fabricius bibl. med. et inf. lat. vol. VI. pag. 4. sq.* R.

**) Lib. scilicet II. cap. I. R.

f) Quae tandem sors fuerit *Celtis* apud *Lipsienses*, dilucide exponit *Joannes Aesticampianus*, a patria *Sommerfeld* in inferiori Lusatia ita nuncupatus. Habuit is *Lipsiae* an. 1507 *Philippicam* orationem, qua acrius invehitur in purioris latinitatis hostes. Conqueritur potissimum adversus *Lipsienses*, quod optimum

quemque persequantur, qui humanitatis studia restaurare in melius apud ipsos adnisus fuerit. *Vos quidem*, inquit in fine orationis, alludens ad verba *Pauli* et *Barnabae* Act. XIII. 46. et *Stephani* martyris Act. VII. 52., *oportebat primum loqui verbum latinitatis: sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis Romana eloquentia, ecce converto me ad gentes vicinas, et barbaras. Quem enim poetarum eloquentum non sunt persecuti patres vestri? Et quem vos ludibrio non habuistis, qui ad vos expoliendos quasi coelitus sunt demissi? Nam ut e multis paucos referam, Conradum Celtin paene hostiliter expulistis; Hermannum Buschium, diu et multum vexatum ejecistis; Joannem quoque Aesticampianum, variis machinis oppugnatum, tandem evertitis. Quis tandem poetarum ad vos veniet? Nemo hercle, nemo, cujus modo ad aures virtutis vestrae fama pervenerit. Inculti ergo, jejunique vivetis, foedi animis, et inglorii, qui vel, nisi poenitentiam egeritis, damnati omnes immoriemini.* *) Edidit hanc orationem *Daniel Fidlerus Lipsiae* an. 1703, eandemque disputationi de *Joanne Aesticampiano* ad calcem subtexuit; fragmentum, quod transscripsimus, exhibet *Jac. Burckhardus* l. I. pag. 282. **)

*) Erant utique hae clades proximarum victoriarum praenunciae. Academiam Lipsiensem, jam antea *solennibus* studiis florentem, paulo post *politioris* etiam litteraturae ac linguarum accessione, *Georgii* maxime Saxoniae Ducis auspiciis et munificentia, sic fuisse ornatam, ut vix ulli ceterarum tum cederet, testem habemus *Erasmum* epist. DXVII. Lugd. Bat. Tom. III. P. I. De eadem aliquot jam annis ante, quam hoc *Erasmus* scripsit, *Ulricus Huttenus* ad Comitem *Hermannum Nuenarium* s. *de nova Aquila* confirmaverat, quamquam pertinaciter adhuc reluctati essent sophistae, erexisse se tamen ibi litteras, rectaque studia esse aucta. *cf. Burckhard. de fatis L. L. in Germania P. I. pag. 228.* R.

**) De *Aesticampiano*, gravissimo humanitatis vindice, ejusque scriptis redibit sermo, quum ex codice msc. epistolarum, quas amici ad *Celtem* dederunt, optima quaeque delibabimus. R.

g) Subirascebar primum *Chytraeo*, professori *Rostochiensi*, cui haud dubie patebant scrinia illius academiae, quod de *Celte* gentili suo, neque in *chronico Saxoniae et vicini orbis Arctoi* (Rostoch. 1590. 8.) neque alias singularia quaedam protulerit. At succensere scriptori egregio desii, postquam comperi, iniquitati potius temporum, quam vitio aut negligentiae auctoris id tribui oportere. Venit enim *Celtis Rostochium* anno 1486, quo a *Lipsiensibus* erat expulsus. Res *Rostochiensium* tum fuisse perturbatissimas, narrat idem *Chytraeus.* Erant nimirum tum temporis *Rostochienses* subjecti interdicto ecclesiastico ab episcopo *Mindensi*, post pressi

obsidione, discentium coetu dissipato. Quae cum fuerit academiae illius facies, ne illud quidem *Chytraei: Celtis academiam Rostochianam sua doctrina illustravit,* ex vero pronuntiatum esse, opinor. Quis enim docendi locus inter armorum strepitus, litterarum cultoribus huc illuc dilapsis? Confer *Chytraei* Chronicon Saxoniae pag. 44. c. 179.

CAPUT X.

ITER ITALICUM.

Lustratis Germaniae academiis (de quibus cap. praecedente), quod docendo minerval meruit, longius profecturo pro viatico fuit; quemadmodum innuit sodalitas litteraria Rhenana in ejus vita hisce verbis: *Non parvas pecunias docendo conquisivit, et profectus est etc.* Ut discendi ardorem, quo erat incensus, plenius restingueret, *Italiam* visere constituit. Erat *Italia* tum aetatis commune quoddam, ac praecipuum prae ceteris Europae cultioris provinciis, meliorum litterarum emporium. Florebant ibi maxime humanitatis studia, ut solent appellari, ad prisci aevi decus, opera Graecorum patria exulum, culta sedulo, feliciterque restituta in melius. *a)* Huc itaque *Celtis*, siquis unus in optimarum litterarum studiis et honestissimarum artium disciplinis magis magisque proficiendi cupidissimus, sibi commigrandum putavit, exemplo *Rudolphi Agricolae* praeceptoris sui *b)*, et *Joannis Dalburgii* sui Maecenatis *c)*, aliorumque nobilium ac ingenuorum adolescentum, qui ex Germania in Italiam properarunt ad audiendos illustres illos sapientiae magistros, ut ingeniorum culturam hinc referrent *d)*. Audivit *Celtis* apud Italos, velut sodalitas litteraria Rhenana l. c. tradit, *Paduae Calphurnium e)*, et *Creticum f)*, *Ferrariae Guarinum g)*, *Bononiae Philippum*

Beroaldum h), *Florentiae Ficinum* i), *Venetiis Sabellicum* k), *Romae Pomponium Laetum.* l) Quibus modis, quibus humanitatis officiis fuerit exceptus *Celtis* a viris doctis apud Italos, dum hic ibi substitit; quorum eruditionem, eximiasve ingenii dotes prae ceteris sit admiratus; quibus quique disciplinis potissimum eminuerint; qua usi methodo in instituenda juventute; quave docendi facilitate praediti fuerint, qui in illis Musarum officinis liberalioris doctrinae studia excoluerunt; aut quantum ipse in capessendo ingenii cultu, quibusve potissimum in artibus aut scientiis profecerit ex eorum vel institutione, vel amico aut familiari colloquio, sodalitas *Rhenana* reticet. At neque *Celtis* de peregrinatione illa studiorum causa in *Italiam* suscepta ullibi fecit mentionem aliquam; tantum abest ut de re Italorum litteraria et praeclaris eorum ingeniis judicium suum ullibi interponeret, meritisque dignos laudibus efferret. Unde conjicimus, quod aperte prodidit locis aliis, in gentem Italam haud satis propenso se animo fuisse. *m*) Cujus quidem aversi abalienatique animi causam in aliis potius, quam in contemtu Litteraturae, quae vigebat apud Italos, quaerere oportet: siquidem compertum sit, discipulis suis *Celtem* hortatorem fuisse, ut absoluto in Germania studiorum cursu in Italiam se conferrent, magis expoliendi *n*). Quae fuerint sensa *Celtis*, cum *Romam* ingrederetur; *o*) quidque luserit in osculum pedum summi Pontificis, constat ex ejus epigrammatis. *p*)

a) Graecorum icones, qui apud Italos collapsa litterarum studia sec. XV. quo *Constantinopolis* a Turcis capta est, restaurarunt, una cum succincta illorum biographia exhibet pag. 1197. Tom. I. Analect. Vindobonensium *Adamus Franc. Kollar.* Sunt autem praecipue hi: *Bessarion*, Card. Nicaenus, patr. Const., *Emanuel Chrysoloras*, grammaticus graecus, *Demetrius Chalcondyles*, grammaticus, *Theodorus Gaza*, Rhetor et grammaticus, *Joannes Argyropylus*, philosophus, *Georgius Trapezuntius*, Rhetor et philosophus, *Marcus Musurus*, philologus, *Michael Marullus*, poeta, *Joannes Lascaris*, philologus. Merentur sane viri eruditissimi, qui pulsa caligine artium optimarum facem nobis praetulerunt, unde in omni vita enascuntur fructus longe uberrimi, ut eorum nomina aeque ac merita omni venturae posteritati diligentius commendentur.

b) Indignabatur equidem *Celtis* in orat. inaug. habita *Ingolstadii* an. 1492, despici ab Italis Germanos, et *barbaros* dici; confitendum nihilominus est, cultum miri-

fice ab Italis fuisse *Rudolphum Agricolam*, ac plurimi aestimatum ob praeclaras ingenii dotes, doctrinae praestantiam, ac multiplicis eruditionis praerogativas, quibus eminuit. Docuit *Agricola*, atque declamavit palam in *Italiae* Athenaeis, communemque omnium eruditorum tulit applausum, teste *Erasmo*, qui oblatam sibi ab Italis publice perorandi provinciam recusavit, sibi haud satis fidens *) Quam honorifice senserint de *Rud. Agricola* Itali, abunde cognoscitur ex magnifico epitaphio, quod illius nomini et memoriae posuit *Hermolaus Barbarus*, doctus Venetus, quod lubet huc transcribere:

Invida clauserunt hoc marmore fata Rudolphum
Agricolam, Frisi spemque decusque soli,
Scilicet, hoc vivo, meruit Germania laudis,
Quidquid habet Latium, Graecia quidquid habet. **)

*) Adag. chil. I. Centur. IV. in adag. *Quid cani et balneo.* R.

**) Idem epitaphium cum multis aliis praefixum legimus *Agricolae* Lucubrationibus, quae conjunctim prodierunt Colon. 1539. 4. Exhibet illud etiam *Burckhardus* l. c. Vol. I. pag. 122. R.

c) De *Joannis Dalburgii* peregrinatione litteraria in Italiam conferatur *G. W. Zapf* pag. 94 sqq. *Johann von Dalberg, Bischof von Worms.* Augsb. 1796. 8. Solum hic adnotamus, *Joannem Dalburgium* in Italia *Ferrariae* potissimum Graecas didicisse litteras, in eoque studiorum genere condiscipulum habuisse *Rudolphum Agricolam*, familiari sibi junctum amicitia, quae ad obitum usque absque offendiculo perduravit. Prosecutus sane est *Joannes Dalburgius Rud. Agricolam*, quem *Heidelbergam* accersivit, paucis post annis ibi vita functum, epicediis pluribus, graece et latine scriptis, quae obvia sunt in *R. Agricolae* opusculis. Quibus adde, quod *Jo. Aventinus* tradit, collegisse *Joannem Dalburgium aliquot dictionum millia, quae utraque lingua, graeca nimirum et teutonica, idem significant.*

d) *Nicolaus Comnenus Papadopoli in historia Gymnasii Patavini* multos nominat, laudatque Germanos, qui in Italia, potissimum *Patavii* ingeniis studiisque excolendis dederunt operam. Rem nec inutilem, nec ingratam historiae litterariae cultoribus faceret, quicunque de germanorum adolescentum in Italiam litterariis peregrinationibus scriberet commentarium, meritaque exponeret eorum, qui Musarum artes, scientiasve superatis alpibus in Germaniam detulerunt, renascentium litterarum inde a seculo XV. apud nos restauratores jure nuncupandi. Optandum autem, ut id operis studio accuratiore peragatur; non ut a quibusdam diebus nostris tentatum est, proletarie levique brachio.

e) Pauci sunt litteratores, qui de *Joanne Calphurnio* quidquam prodiderunt memoriae. Nobis duntaxat compertum est, fuisse eum patria *Brixiensem*, qui primum *Venetiis* sit professus litteras graecas, postea *Patavii* latinas; velut elucet ex Card. *Sadoleti* epist. T. II. pag. 478, et Tom. V. pag. 77. *Rom.* 1760. 8. *Vincentius Longinus*, *Celtis* discipulus, gloriatur ep. ad *Celtem* anno 1499, audivisse se *Patavii* doctissimum *Calphurnium*. Eundem numerat *Jacobus Locher Philomusus*, alius *Celtis* discipulus, praedicatque inter praeceptores, quos habuit apud Italos:

Restat ad Italicos me nunc transire poetas,
Qui mihi Palladias tribuere medullitus artes,
Qui me duxerunt sacras Heliconis in oras.
Clarus in Euganea Rhetor *Calphurnius* urbe
Voce Camenali juvenilia pectora fovit.

Vid. carmen *Philomusi*, inscriptum: *Praeceptorum fidelium ac doctissimorum grata Philomusi recordatio.* Praefixum est *Fulgentii Mythologicis.* Aug. Vind. 1521. fol. In *G. W. Panzeri Annalibus Typogr.* indicatur *Joannis Calphurnii, Brixiensis, philologi, carmen de beato Symone, puero Martyre. Vicentiae* 1481. fol. *Tridenti* 1482. 4. *)

*) De *Calphurnio*, interprete *Terentii*, *Catulli*, *Ovidii* (quem edidit Venetiis 1474.) videsis paulo ante adducti *Nicolai Comneni Papadopoli historiam Gymnasii Patavini* L. 3. sect. 2. c. 6. num. 27. Item Card. *Angeli M. Quirini litteraturam Brixianam* P. I. pag. 50 sqq. et P. II. p. 59. sqq. R.

f) Creticus is est *Marcus Musurus*, natus *Rhethymnae* in *Creta* insula, unde *Cretensis* aut *Creticus* vulgo est appellatus, plebejo quidem genere, sed ex mercatura diti, ut l. c. habet *Papadopoli* Tom. I. pag. 494. Litteras graecas dum docuit *Venetiis*, latinas didicit, in iisdemque profecit adeo, ut illas *Patavii* summa cum laude postea doceret. Hinc intelligimus, hallucinatum esse *Thomasium*, quod in recensendis *Patavinis* professoribus *Musuri* nomen praetermiserit. Utrique linguae pari felicitate junxit poesin; quod patet ex carmine in *Platonem*, quod elucubravit, communi eruditorum plausu exceptum. *) Obiit *Romae*, postquam a *Leone X.* evectus fuerat ad Archiepiscopatum *Epidaurensem* in Dalmatia anno 1517. Moerore illum confectum esse, quod, uti speraverat, rubrum galerum non obtinuerit, affirmant non pauci; negat *Gyraldus*. His adjungimus *Philomusi* l. c. versiculos, ex quibus apparet, fuisse *Musurum* apud Italos praeceptorem suum, qui transtulerit *Galeni* opera:

Prodeat et *Marcus Cretensis*, mella refertis
Cujus ab ore favis manarunt Attica docto;
Miscuit interpres hic praestans graeca latinis;
Grandia *Pergamei* traduxit scripta *Galeni.*

*) Eundem scholia graeca in *Aristophanem* collegisse, iisque praefatum esse, tradit *Saxius* in onomastico P. II. pag. 523. R.

g) *Jo. Bapt. Guarinus*, Veronensis, graecis latinisque litteris juventutem litterariam instituit *Ferrariae*, in eo docendi munere succedens patri, qui *Constantinopoli* praeceptore usus erat *Emanuele Chrysolora*, vita functus anno 1460. Filius autem doctrinae paternae, cathedraeque heres, diem suum obiit an. 1513. Ingenii monumenta, quae uterque reliquit, longa serie enumerat *Fabricius* in *bibl. med. et inf. latinitatis.* *) Non possum hoc loco praeterire silentio, quod attinet *Guarinum*, enarratque *Longinus* in epistola sua hodoeporica: „*Inde* „(Venetiis) in triremi per mare Venetum, et Padum fluvium Ferrariam prospera „navigatione (an. 1499) venimus; ubi cum *Baptistam Guarinum*, virum „eruditissimum, in horto deambulantem offendissemus; et ob ingenui discipuli „infirmitatem turbatum, et ob eam causam suspendisse lectiones, urbe *Ferrariae* „eo celerius exivimus, visis tamen antea monumentis tam recentium, quam pris„corum."

*) Tom. III. p. 351 sqq. Vid. etiam clariss. *Heynium* de *Virgilii* edit. p. XLIX. Tom. I. opp. *Virgilii.* R.

h) *Philippus Beroaldus*, *Bononiensis*, orator, poeta et philosophus insignis, *) humanissimus erga discipulos, praecipue eos, quos habuit e terris exteris, quibus varia opuscula dedicavit. Docuit humaniores litteras *Parmae*, *Lutetiae* et *Bononiae*. Eum inter doctos Italos suspexerunt *Celtis* discipuli *Longinus* et *Philomusus*. *Longinus* quidem de eo scribebat l. c.: „Petivimus tandem *Bononiam*, „rerum litterariarum gloria nostro seculo urbem clarissimam, totiusque Italiae in „variis disciplinis et quidem illustrissimis fontem uberrimum. Hic tandem navis „nostra tanquam in portum tutissimum uncosis et firmis anchoris infixis stabilita „est. Hic audivimus . . . *Philippum Beroaldum* in philosophia, in oratoria „et poetica interpretem fidelissimum, et lectorem eloquentissimum, qui et soluta „oratione et carmine scripsit complurima; . . . . in *domo Tosgariaria Plinium* „*Secundum* in historia naturali legebat." Eundem praeceptorem suum l. c. hisce versibus celebrat *Philomusus:*

Inclytus et fama toto *Beroaldus* in orbe
Felsineos inter doctores nobilis auctor,

Deliciis rerum variis, linguaeque profatu
Organico nostras permulsit saepius aures,
Et mihi praecipue veterum deprompsit alumno
Abdita sensa, quibus velantur carmina vatum.

*) Quicum, cave, confundas ejus sive patruelem, sive patruum cognominem, et ipsum oratorem, grammaticum, historicum haud ignobilem, quem *majorem* dicunt, aetate scilicet, qui caeteroquin ingenii acumine et famae celebritate infra *minorem* fuisse videtur. Huic in acceptis referimus Libros V. priores *Taciti*, *Leonis X.* P. M. anno secundo h. e. 1515. Romae emissos. Obiit 1518. Cf. *Fabric. bibl. lat. med. aetat.* Vol. V. pag. 851 sqq.

i) „*Marsilius Ficinus*," verba sunt *Philippi Bergomatis* in *supplem. chron.* scriptoris coaevi, et conterranei, „philosophus et sacerdos *Florentinus*, ingenii „eminentissimi, et prope divini, vir utriusque linguae eruditissimus, ac multarum „scientiarum completissimus doctor, homo sane memorabilis, moribus videlicet et „sanctimonia insignis, ac inter *Platonicos* doctores facile princeps, hac nostra tem-„pestate floret, et multa praeclara opuscula scripto mandavit etc." Quis illius annus fuerit emortualis, ex *Longini* epistola hodoeporica supplemus. „Visa," inquit, „anno 1499 *Bononia*, Apenninum montem ascendere properavi; quo superato „jucundissimum urbis *Florentinae* philosophum Platonicum *Marsilium Ficinum* „salutarem, illique de sua animi felicitate congratularer. Verum spe mea frauda-„tus; nam carnis debitum antea, quam urbem ingrederer, solvit." *)

*) Natus erat *Marsilius* Florentiae 1433, et in fide ac clientela domus *Mediceae* educatus. De ejus vita, moribus et scriptis, unacum apologia pro magiae postulato, erudita exstat commentatio *Joa. Ge. Schelhornii Tom. I. amoenit. litter.* Versiones, quas reliquit, operum *Platonis*, *Speusippi*, *Xenocratis*, aliorum, enumerat *Fabricius* in *bibl. Gr. vol. XIII. c. 9.* Inter opera ejus junctim edita (Venet. 1516. Basil. 1561 et 1571. nec non Paris. 1641. 2 vol. fol.) familiam ducit liber *de religione christiana et fidei pietate.* Rebus humanis exemtum *Politianus* hoc decoravit epigrammate:

Mores, ingenium, Musas, sophiamque supremam
Vis uno dicam nomine? Marsilius. R.

k) De *Marco Antonio Sabellico*, qui ante dictus erat *Coccius*, haec habet *Longinus* in epist. hodoep. ad *Celtem*; „*Sabellicus* non modo soluta oratione, „et verbis nitidissimis jam grandes edidit libros; verum etiam versu heroico „Romanam linguam ampliavit, et ornavit; qui ut suavis et blandus est in scri-„bendo, talis est in dicendo." *)

*) *Coccius* iste in urbe *Tiburtina* scholam paene imberbis rexit; deinde Romae duce *Pomponio Laeto* profecit, qui, discipulos suos novo nomine mactare solitus, ei *Sabellici* nomen indidit. Vid. *not. sq. l)* *) et supra *cap. 2. not. a)* *) Postea Venetias evocatus est, ut litteras humaniores doceret, et historiam conscriberet rei publicae. Obiit a. 1506. Opera ejus, maximam partem historica, sed et epistolas, orationes, poemata, annotationes in *Plinium*, *Suetonium*, *Lucanum* cet. recenset *Fabric. bibl. lat. med. aetat.* Vol. VI. p. 397. sqq. R.

l) De *Julio Pomponio Laeto* multi multa tradidere, pugnantia inter se, praecipue ubi sermo est de natalium genere, nomine, moribus, studiis, indole, die et anno ejus emortuali. Quid de his sit, certiora edocemur, postquam *Jo. Dominicus Mansi* an. 1755 primus in lucem protulit *Pomponii Laeti elogium funebre*, adornatum a *Michaele Ferno*, *Pomponii* familiari amico, qui paucis post ejus obitum diebus *Romae* illud elucubravit. Mortuus autem est die XI. Junii an. 1498, jam septuagenarius, ortus ex *Salernitanorum* principum sanguine, filius illegitimus. Etsi vero de moribus, studiis, indole, ceterisque amici dotibus satis accurate disserat *Fernus*: nullam tamen facit mentionem (fortassis veritus iram Pontificis) de academia, aut sodalitate litteraria, cujus *Romae* auctor erat *Pomponius*. Solemne illi erat, eorum, qui in istam recipiebantur, nomina immutare. *) Quae res *Pomponium* una cum praecipuis illius sodalitii sociis in summam *Pauli II.* indignationem, maximasque molestias conjecit, quasi essent conjurationis in rem publicam rei. *Platina* et *Callimachus* ut malefactores excruciati; *Pomponius* ad dicendam causam *Venetiis* Romam protractus; in nullum autem atrocius saevitum, quam in *Platinam*; quemadmodum non sine stomacho ipsemet enarrat. **) Qua in opinione sanctitatis apud Romanos fuerit *Pomponius* post obitum, declarat *Aesticampianus* hunc in modum *Bononiae* an. 1500 data ad *Celtem* praeceptorem suum epistola. „Jam omnis," inquit, „doctorum turba *Pomponio* „illi *Laeto*, cujus sepulchrum, cum in Urbe essem, vidi, religiose etiam sacri„ficat, factumque Deum, more priscorum, esse putat." ***)

*) Rogatus aliquando, cur id faceret, *ut*, inquiebat, *praeclaris antiquorum nominibus, quasi quibusdam calcaribus juventutem aemulatione ad virtutem incitaret.* R.

**) In libro *de vitis ac gestis summorum Pontificum* pag. 301. edit. Colon. 1501. fol. „Tum *Paulus* (Papa II.) ad *Vianesium* (suum vicecamerarium) conversus, „meque torvis oculis aspiciens: *Hic*, inquit, *tormento cogendus est, verum fateri: „nam conjurandi artem optime novit.* — — Torquentur prima et sequenti die „multi, quorum pars magna prae dolore in ipsis cruciatibus concidit. — Tor„quebatur *Lucidus*, homo omnium innocentissimus; torquebatur *Marsus De„metrius*, *Augustinus Campanus*, optimus adolescens, et unicum seculi

„nostri decus, si ingenium et litteraturam inspicis. — — Fessi tortores, non „tamen satiati. Nam ad viginti fere eo biduo quaestioni subjecerunt Me quo„que ad poenam vocant. Accingunt se operi carnifices, parantur tormenta, spo„lior, laceror, trudor tanquam grassator et latro. Sedet *Vianesius*, tanquam „alter *Minos* stratis tapetibus — — homo sacris initiatus, et quem sacri cano„nes vetant, de laicis quaestionem habere, ne, si mors subsequatur — — irre„gularis, ut eorum verbo utar, et impius habeatur. Neque hoc quidem con„tentus, dum penderem miser in his cruciatibus, monilia *Joannis Francisci* „*Sangiae*, *Clugiensis*, attrectans, hominem rogabat, a qua puella donum amoris „acceperit. De amoribus locutus, ad me conversus instabat, ut seriem conjura„tionis — — explicarem.“ — — Sed longior est locus, quam ut totum huc transferre liceat. In summa, etiamsi brevi constiterit, omnem conjurationem meram esse fabulam, ab hominibus malevolis confictam, nemo tamen eorum, qui carceribus detinebantur, liberatus est. Metuebat nempe Pontifex, ne levitatis aut saevitiae argueretur, eamque ob rem latentem aliquam causam subesse, videri volebat. Itaque, quod unum restabat, captivos haerésis insimulare placuit, quippe qui nimii essent gentilitatis aestimatores, et *Platonem Deum* philosophorum appellare, atque de animorum adeo immortalitate disputare auderent. Ita annus abiit prius, quam Pontifex, Cardinalium precibus demum fatigatus, e custodia *Platinam* dimitteret. Aequiorem se ei praebuit *Pauli* successor, *Sixtus IV.*, qui bibliothecae, abs se in Vaticano conditae eum praefecit, in quo nobili munere vitam felicem transegit, et jam senex (1481.) fato functus est, laudatores nactus quam plurimos. R.

***) Inter ejus opera, de quibus consulendus *Fabric. l. c. vol. IV. pag. 594. sq.* apprime commendandus est ICtis *de magistratibus, sacerdotiis, et jurisperitis ac legibus Romanorum libellus*, saepenumero editus. R.

m) Iniquo ferebat animo *Celtis*, ut patet ex oratione inaugurali, quam *Ingolstadii* habuit an. 1492, contemni ab Italis Germanos, et a *Venetis* clarissimos nostros principes, natalitio illorum nomine suppresso, *barbaros* vocari. Quibus addit epiphonema istiusmodi: „Tantum potuit vetus, et inexpiabile inter nos odium, et „antiqua discordia numinum, quam nisi provida natura alpibus, et elatis in sidera „scopulis diremisset; a mutuis caedibus, pro hostili utrimque spiritu, nunquam „temperaretur.“

n) Eum in censum veniunt *Vincentius Longinus*, *Joannes Aesticampianus*, *Jacobus Locher Philomusus*, *Joannes Aventinus*, *Theodoricus Rhenanus Ord. Cist.* ex monasterio *Zwettelensi*, aliique *Celtis* discipuli, qui ejus hortatu in *Italiam* peregre abierunt. *Celtis* tamen minime probavit, quod

ex *Germania* irent in *Italiam*, ad percipienda ea, quae ad jurisprudentiam aut leges pertinent; ut patet ex ejus epigrammatis. *)

*) Rectissime judicavit *Celtis*, qui probe noverat, ea aetate lucem illam, quae in Italia litteris *humanioribus* affulserat, ad disciplinas, quas *reales* scholastici vocabant, nondum penetravisse. Nam, ut rem exemplo confirmem, in *jurisprudentia* inde a *Bartolo* (m. an. 1355.) usque ad *Jasonem Maynum* (m. 1519.) ubique regnabat barbaries illa *glossatorum*, quorum *vitas Pancirolus* (de claris legum interpretibus), et *horridum dicendi genus Muretus* (orat. I.) descripserunt. Novum splendorem juris Romani scientiae circumdedit in Italia *Andreas Alciatus* (n. an. 1492. m. 1550.) et in Gallia *Jacobus Cujacius* (n. an. 1520. m. an. 1599.). Sed ante utrumque in *Germania* Duumviri celeberrimi, *Gregorius Haloander* (m. an. 1531.) et *Ulricus Zasius noster* (n. an. 1461. m. an. 1535.) elegantiores litteras cum juris civilis studio felicissime junxerunt. Quid igitur causae est, cur primordia restitutae elegantioris juris prudentiae ab *Italis* potius et *Gallis*, quam a *Germanis* duci soleant? R.

o) Lib. II. Epigr. 46. *Ad Romam, dum illam intraret:*

Quid superest, o *Roma*, tuae nisi fama ruinae,
De tot consulibus, caesaribusque simul?
Tempus edax sic cuncta vorat, nilque exstat in orbe
Perpetuum. Virtus, scriptaque sola manent.

p) Alterum, quod huc pertinet, epigramma, occurret infra *cap. XIII. not. d*).

CAPUT XI.

REDITUS EX ITALIA IN GERMANIAM.

Salutatis apud Italos, quantum per temporis marsupiique angustias *a*) licuit, in civitatibus praecipuis, in quibus florebant studia litterarum, auditisque viris fama eruditionis illustribus, restincta, qua flagraverat, homines doctos cognoscendi, iisdemque innotescendi, proficiendique cupiditate, reditum in Germaniam paravit *Celtis*. Qua redierit via, peculiari *ode hodoeporica* exponit *b*). Affirmat, se relicta *Roma*, superato apud *Hetruscos Apennino* monte *Bononiam*, quam *Rhenus* fluvius tenuis intersecat, contendisse; oppidis, quae *Pado* flumini adjacent, transitis, lintre vectum per sinum maris *Adriatici* pervenisse *Venetias*; hinc ubi *Athesis*, qui in *Tirolensi* comitatu oritur, *Bolzanum*que et *Tridentum* alluit, perrexisse ad visendos in *Rhaetia Rheni* fontes; tum ad lustranda apud Suevos *Danubii* incunabula, quae fluminum regi silva *Bacena c*) praebet, properasse; pedestri demum itinere, majore Germaniae parte peragrata, absque comite, in terras se delatum, quas rigant *Albis*, et *Silesus*. *d*) Ita *Celtis*. Nobis equidem clam non est, longe aliter istam *Celtis* ex *Italia* migrationem describi a sodalitate *Rhenana*; quasi ex Italia ivisset per *Illyricum* in *Pannoniam*, hincque in *Sarmatiam e*). At malumus *Celti* ipsi suum reditum describenti habere fidem, quam sodalitati litterariae, cujus testimonia in enarrandis iis, quae eum attinent, vacillare, neque semper assensum mereri, semel iterumque experti sumus, ac nuper ostendimus *f*).

a) Huc faciunt verba *Erasmi*: „In *Italia*," inquit ep. an. 1490 data ad *Arnol*„*dum*, „vivi non potest sine summo sumtu." „Nummuli si deficiunt, nihil „esse, quod ibi oblectet," scribebat *Aesticampianus Bononia* ad *Celtem* an.

„1500: „*Italia*," inquit, „tantisper quem oblectat, donec cantores in marsupio „recantant. Illis obmutescentibus, nihil hic laetitiae, nihilque jucunditatis vel „habere, vel assequi valet, qui peregre ibidem agit."

b) Exstat haec ode apud *Celtem* lib. I. num. 14, estque ejus exordium: „*Romuli* quondam revocatus urbe." Septem strophas priores, quae iter *Celtis* referunt, inseruit *Nic. Reusnerus* suis hodoeporicorum libris pag. 572 sq. Bas. 1580. 8.; *Franc. Irenicus* in Exeg, Germaniae fol. 170. adducit stropham tertiam et quartam, indicatque eas se hausisse ex *Celtis* lib. I. od. I., quae cum in editione *Argentinensi*, praeter quam nulla datur procusa typis, decima quarta sit, aut vitium cubat in allegatione, aut codicem manu exaratum *Irenicus* coram habuit, in quo erat alius odarum ordo. Idem fere dicendum est de *Reusnero*, qui pariter nonnulla exhibet aliter, ac leguntur in Argentinensi editione, ex qua carminis hujus hodoeporici initium huc transscribimus:

Romuli quondam revocatus urbe,
Montis *Hetrusci* juga nubilosa
Scando; dein *Rhenum* tenuem, *Padumque* ad
Terga reliqui.

Hinc sinum vastum citus *Adrianum*
Lintribus curvis adeo, *Istriorum*
Urbs ubi tollit *Venetas* per undas
Inclyta muros.

Hinc ubi campis *Athesis* receptus,
Praepeti cursu rapior per alpes,
Uvidum *Rhenum* repetens gelato
Fonte cadentem.

Post caput magni veniens ad *Istri*,
Silva *Bacenis* vaga ubi patescit
Saltibus, multa insinuans reductos
Arbore colles.

Solus ignotas pedibus citatis
Hinc peto terras, ubi flavus *Albis*,
Atque ubi lentos regerit *Silesus*
Vortice cursus.

c) „*Hercinia* sive nigra silva," inquit *Franc. Irenicus lib. VII. Exeg.* cap. 19., „ubi Gallias spectat . . . inde longius evagata cis Rhenanas civitates, inter quas „*Friburgum* est, *Bacenis* etiam dicitur, ut ait *Celtis* in *Germania*. Et libro I. „odarum infit:

„*Bacenis* illa dicta prioribus,
„Sed modo atrae nomen habet."

Cum in *Celtis* opusculis, typo editis, versiculi istiusmodi non occurrant, arbitrandum est, exemplar quoddam msc. prae se habuisse *Irenicum*, ex quo eos decerpserit. Fatendum tamen est, his similia prosaico sermone attulisse *Celtem* in descriptione *Norimbergae* Cap. III. „Illic, inquit, ad fontem *Danubii* et *Necari* „*Hercinia* per totam *Sueviam* se late vasteque diffundens, nigram silvam (quae „et *Bacenis* majoribus dicta est) efficit."

d) *Silesus*. In *Nic. Reusneri* hodoeporicis l. c. legitur: *Viadrus*. Rectius retinetur *Silesi*, quam *Slesi* fluminis vocabulum, unde regio, quam irrigat, *Silesiae* sibi nomen conscivit, quemadmodum *Celtis* adnotat Eleg. IV. Libr. II.

„Suevus, qui Slesum socium sibi convocat amnem,
„A quo nunc nomen Slesia terra gerit."

e) „A *Roma*, inquiunt sodales litterarii, per Venetias, Illyricum et Pannonias, Sarmatas adiit."

f) Conferantur ea, quae cap. III. de anno ejus natali relata sunt a sodalibus litterariis, minime probanda; quippe quae aperte pugnent cum chronotaxi accuratiore. Quodsi habuissent Rhenani socii prae oculis odem illam, qua suum in Germaniam ex Italia reditum descripsit *Celtis*, fieri non potuisset, ut in tam abnormem prolaberentur errorem; neque fuisset opus, confingere iter, prorsus diversum ab eo, quod confecit *Celtis* ab Italis ad suos reversus.

CAPUT XII.

ANNUS LAUREAE.

Temporis monet ratio, ut ad exponenda ea jam nos convertamus, quae *Celtis* Lauream poeticam attinent; etsi clam nobis non sit, aliter esse visum *sodalitati Rhenanae*, quae *Celtis* vitam litteris prodidit. Affirmant enim socii litterarii, id demum honoris obtigisse *Celti* post factas peregrinationes per *Illyricum*, *Pannoniam*, *Sarmatiam*, ejusdemque hinc in Germaniam reditum; cum *Celtis* annum ageret aetatis XXXII, qui in annum incidit a Christo nato 1491. *a*) Non minus diserte tempus idem, quo fuerit laureatus, inscriptio designat epistolarum, quae ab amicis et sodalibus studiorum similitudine conjunctis ad *Celtem* exaratae sunt, inde ab anno 1491 usque ad annum 1505. *b*) Utut autem luculenter docere haec loca videantur, serto poetarum ornatum fuisse *Celtem* anno 1491; a nobis tamen extorquere assensum minime possunt. Siquidem alia eademque multo firmiora suppetant, quae nos compellunt, sentire aliter; ut *Celti* ipsi contradicere, veritatis studio adacti, necessarium reputemus. Ac primum quidem extra controversiam positum est, *Celtem* fuisse poetam inauguratum *Norimbergae*, dum *Comitia* principum agerentur a *Friderico III.* imperatore *c*); adversus quem communis non minus, quam vera erat querimonia, eum comitiis a se indictis raro praesentem adesse *d*). Comitiis illis anno 1491 *Norimbergae* celebratis *Fridericum* imperatorem non interfuisse, aeque est exploratum. Nullus certe auctor ex his, qui in describendis istiusmodi conventibus principum diligentius versati sunt, meminit praesentiae imperatoris in comitiis illis *Norimbergensibus;* etsi in enumerandis imperii proceribus, qui aderant, satis accurati sint atque verbosi. Quin, cum referunt, *Maximilianum* Romanorum regem dictis comitiis anno 1491 adfuisse, *Maximiliano* ad-

jungunt episcopum *Eustettensem*, Caesaris *Ambasiatorem e)*. Ad quid, nemo non hic cogitabit, *Ambasiatore* Caesaris opus, si imperator ipse erat praesens? Comitia anno 1491 *Norimbergae* habita fuisse, absente imperatore, conficitur ex diplomatis, quae imperator prioribus mensibus anni 1491 edidit *Lincii f)*. Nullo itaque pacto affirmari potest, imperatorem *Norimbergae* imposuisse *Celti* lauream poeticam mense *Aprili*, quo, velut omnes fere consentiunt *g)*, *Celtis* solemni ritu est coronatus. Neque est hoc loco praetermittendum, eum jam fuisse laurea corona praeditum, cum peregre versabatur apud *Sarmatas h)*. Elucet inde, aberrare a vero, qui cum *sodalitate Rhenana* contendunt, *Celtem* dignitate illa fuisse auctum, postquam e *Sarmatica* profectione rediisset *i)*. Sed mittamus haec omnia, utut gravia, dilucida, ac, ut nobis videntur, plane decretoria. Restat documentum, cui refragari nemo poterit, nisi fuerit valde pertinax. Est autem istiusmodi. Vulgavit *Celtis Norimbergae*, eodem ferme tempore, quo est insignibus Doctoris poetici decoratus, suum *Prosenticum*, ad cujus calcem legitur, *Celtem birretatum et laureatum esse a Caesare Friderico III. in arce Norimbergensi anno Domini MCCCCLXXXVII. die XVIII. Aprilis k)*. Publicum id genus monumentum, quod tam significanter et distincte, atque, ut ita dicam, tam anxie et scrupulose non solum annum, mensem, diem, sed etiam, ut ex dicendis apparebit, horam, qua coronatus est *Celtis*, immo horae minutiores particulas expressas habet, editum ab ipso *Celte*, plenam sine dubitatione fidem mereri, aequus quisque rerum arbiter fatebitur, ac sine ambiguitate pronuntiabit: *Celtem* laurum poeticam e manibus imperatoris tulisse anno 1487. Quod etiam confirmant veteres ac coaevi chronicorum librorum scriptores *l)*. Si diploma Caesareum de imposita sibi laurea, ea, qua par est, fide, integrum nobis reddidisset *Celtis m)*, lis haec omnis, quin longiore id genus inquisitione fuisset opus, unico quasi ictu, summi nimirum principis edicto, confecta foret. Quid vero sit, quod *Celtis* verum laureae annum vel dissimulaverit, vel simulaverit alienum, ut coronatus videri mallet anno 1491 potius, quam 1487 *n)*, aut quod idem est, magis anno aetatis 32, quam 28, fatemur nos ignorare.

a) Sodalitas *Rhenana* in vita *Celtis* hoc fere ordine rem proponit: Post lustratas tres Academias, videl. *Erfurtensem*, *Lipsiensem*, et *Rostochianam*, profectus est in

Italiam . . . A *Roma* per *Venetias*, *Illyricum* et *Pannonias*, *Sarmatas* adiit . . . . . A peregrinatione *Sarmatica* rediens . . coronam poeticam a Caesare meruit, aetatis suae anno trigesimo secundo.

b) Codex mss. epistolarum praefert in fronte titulum: *Libri epistolarum et carminum sodalitatis litterariae ad Conradum Celtem.* Epistolis anno 1491 exaratis haec verborum praemittitur formula: *Primus annus laureae, qui erat annus aetatis meae 32.* Quae quidem posteriora verba: *Qui erat annus &c.* ipsius *Celtis* manu adjecta sunt. Annus, qui proxime succedit, 1492 pari fere modo se habet, inscriptus: *Annus secundus laureae*, omissis ceteris. Et sic deinceps notati sunt anni reliqui. Ad annum 1500 legitur: *Annus decimus laureae et secularis.* Tandem postremus annus, nim. 1505 inscriptione caret.

c) Nescio, quid in mente aut prae oculis habuerit *Henricus Pantaleon*, ut P. II. suae *Prosopographiae Theodiscae Bas.* 1578 pag. 572 scriberet, a *Maximiliano Celtem* creatum esse poetam anno 1494 aetatis 35. Quot verba, tot vitia.

d) Vid. *Mich. Ignat. Schmid Geschichte der Deutschen* pag. 315. P. IV. edit. Ulm.

e) Confer Chronicon *Theodorici Engelhusii* apud *Menckenium* Tom. III. *scriptor. rer. german.* colum. 47.

f) *Fridericum III.* imperatorem, ineunte anno 1491, usque ad mensem Junium *Lincii* fuisse commoratum, compertum habemus ex diplomatis pluribus, quae anni 1491. quinque prioribus mensibus, diebus diversis ea in civitate edidit; quemadmodum nos certiores facit pro singulari sua humanitate, vir praclarissimus *Cassianus Roschmann de Hörburg*, tabularii Augustae Domus Austriacae *Archivarius*. Asservantur autem in Augusto Tabulario, quod *Vindobonae* est, a *Friderico* III. imperatore diplomata data *Lincii*

Anno	1491.	An U. F. Tag der Lichtmefs	2. Febr.
-	-	Freytag nach Scholastica	11. Febr.
-	-	Pfinztag vor Invocavit	17. Febr.
-	-	Samstag vor Reminiscere	26. Febr.
-	-	Freytag vor Oculi	11. Mart.
-	-	Eritag nach Judica	22. Mart.
-	-	Montag nach Quasi modo geniti . . .	11. Apr.
-	-	Eritag nach Philippi Jacobi	3. Maji.
-	-	Montag vor dem Auffahrt Tag . . .	5. Maji.
-	-	Gotsleichnam Tag	30. Maji.

g) Velut elucet ex his, quae cap. seq. de mense et die, quo laureatus est *Celtis*, in medium proferemus.

h) Ode XII. Libr. I. refellit *Celtis* Vindelicum Garrulum, qui sibi *Cracoviae* apud *Sarmatas* objecerat obscuritatem generis et egestatem, vocavitque *nobilitate recentem*, qui *patrium transcendat stemmate nidum.* Quae quidem *Celtis* minime negavit, at ex corona sibi ab imperatore imposita, magnam apud omnes, et immortalem apud posteros sibi spondet nominis gloriam. Quam in rem ita canit:

At mihi Caesarea frondescant tempora lauro,
Magnaque fama levet.

i) Sodalitatis *Rhenanae* seducti testimonio, *Celtem* anno 1491 coronatum fuisse, affirmant *Wilh. Ern. Tenzelius* pag. 967. *Monatliche Unterredungen*, *Nic. Hieron. Gundling* pag. 5. Tom. I. *observat. select.*, *Henricus Leon. Schurzfleisch* pag. 40. in praef. ad opera *Roswithae*. *Vossius* Libr. III. de *Histor. Lat. Celtem* coronatum esse pronuntiat aetatis anno 32, qui, ut supra monuimus idem est cum anno 1491. Pari modo hallucinatur *Adr. Baillet* pag. 73. Tom. IV. *Jugemens des savans.* Amst. 1724. In eodem errore haerebat *Xystus Schier* in comment. mss. de *Sodal. Danub.* Quae demum apud *M. Denis* pag. 595 *Buchdr. Gesch. Wiens* leguntur, *Celtem* coronam poeticam anno 1505 ab imperatore obtinuisse, a vero longius abeunt; si de *Celtis* poetica inauguratione verba accipiuntur. At quae nostra est conjectura, duntaxat sermo videtur esse de corona illa *argentea*, quam testamento reliquit *Celtis* academiae *Viennensi*, dono sibi datam a *Max. I.* imp. cujus in poetas, ac praecipue nostrum *Celtem* studium, favor, atque diffusa liberalitas constat inter omnes affatim. Eodem pertinent *Jo. Albertus Fabricius* pag. 221. Annot. ad *Trithemii* librum de *script. eccles.* Num mutarit sententiam, conspecto *Celtis Proseutico*, est incertum. Ambigua enim verba sunt, quae ea de re adducit pag. 367. Tom. I. *Bibl. Lat. Patavii* 1754. Dubius pariter, ac anceps erat *Melchior Adam*, qui, cum pag. 30. Heidelb. 1615 in *vita Celtis* scripserat: *Coronatus est anno 1487*, in adnotatione margini apposita, quasi emendaturus, quod scripserat, addit: *Vel potius nonagesimo primo.* Neque *Jac. Bruckerus* satis sibi constat, quod, dum recte pugnat pro anno 1487, perperam asserat pag. 129 *Ehrentempel etc. Celtem* fuisse coronatum post reditum ex peregrinatione *Sarmatica.* Sibi apertius contradicit *Jo. Georgius Ruprechtus*, *Memmingensis*, qui in eadem oratione de *Sodalitate litt. Rhen.* sui parum memor, modo affirmat, laureatum esse *Celtem* anno 1491, modo negat, asserens id honoris ei obtigisse anno 1487.

k) *Proseutico Celtis* adnexa est figura coeli, exhibens astrorum situm, eorumque concursiones, quae tum erant, cum *Celti* laurea imponeretur, hac addita in-

scriptione: *Figura coeli anni Domini MCCCCLXXXVII currente die XIIX. Aprilis hora V. min. XLI. secunda XII. inacquatis, aequatis autem hora VI. min. I. secunda XX post meridiem. Quo tempore birretatus et laureatus est a Caesare in arce Norimbergensi Conradus Celtis. Erecta per Joannem Kanter de Groningen Frisiae, astronomum pro tunc dicti Imperatoris Friderici tertii semper Augusti. Impressum in Nurmberg per P. (F.) Kreusner.*

l) Ex chronographis coaevis, *Hartmannus Schedel*, *Norimbergensis* medicus, scriptor amplissimi operis: *Libri chronicarum*, quod *Norimbergae* prodiit, excusum typis fol. CCLV. ita habet: *Fridericus Imperator anno 1487 conventum magnum Nurmbergae pro auxilio ferendo contra hostes suos, et pro fide christiana habuit, et in eo principes Germaniae congregavit . . . Interea gloriosus imperator Fridericus inter cetera gesta laudabilia Conradum Celtis, Germanum, virum eruditissimum, in arce Nurmbergensi Apollinari laurea decoravit.* Alius *chronici Norimbergensis* scriptor anonymus sermone vernaculo rem hunc in modum enarrat: *Damals 1487. ist Conradus Celtis der Schrift ein hochgelahrter Mann mit einer Poeten Cron gecrönt, und auf der Bahn gerennt und gestochen worden.* Quibus posterioribus verbis, ut *Zapfius*, qui ea chronica possidet, recte adnotat, designari ludos publicos ad exhilarandos spectatores, more illis temporibus usitato. Ad eundem annum 1487 *Celtis* lauream refert auctor chronici *Citizensis*, *Paulus Langius*, discipulus *Joannis Trithemii*. Confer. *Pistorii Collect. scriptorum rerum German.* Tom. I. pag. 1262 ed. Ratisb.

m) Diploma *Friderici III.* imperatoris, quo refertur *Celtis* inauguratio poetica, primum locum occupat in sylloge mss. epistolarum sodalium et amicorum ad *Celtem*. Postrema diplomatis verba haec sunt: *Harum testimonio litterarum nostri sigilli imperialis appensione roboratarum. Datum Norimbergae arce nostra. Anno* . . . . Numerus anni deest. Unde scribenti haec reticentia, aut tergiversatio? Nihil sane est facilius, quam dicere veritatem.

n) Anno 1487 coronatum esse *Celtem*, tradunt *Fugger* pag. 975: *Ehrenspiegel; Georg Richter* in *orat.* praefixa *Epist. sel.* Norimb. 1664. pag. 83. *Jo. Petr. Lotichius* pag. 8. *Bibl. poet. Paulus Freher* in *theatro. Jac. Burckhardus* pag. 296. P. II. de *fatis L. L. in Germania*, *Andr. Willius* in *Lexico erudit. Norimb. Jo. Henr. Boeclerus* de rebus sec. XVI. pag. 282. *Theophilus Sincerus* (*Jacob Schwindel Norimbergensis*) pag. 343. Tom. III. *Analect. litter.*, *G. Ern. Waldau* pag. 236. Tom. II. *vermischte Beitraege zur Gesch. Nürnb.*, *aliique.*

CAPUT XIII.

RELIQUA, QUAE HUC ATTINENT.

Celtis itaque anno 1487 mensis Aprilis die XVIII *a*) *Norimbergae* in castro imperiali, ubi tempore comitiorum, quae tum ibi agebantur, degebat Caesar *Fridericus III. b*), in numerum et ordinem poetarum solemni ritu, impositione scilicet coronae laureae, traditione annuli *c*) et osculi *d*), ab imperatore relatus est; posteaquam coram imperatore, cui per *Saxoniae* Ducem et Imperii Electorem *Fridericum Sapientem* ab artis poeticae, pangendorumque carminum peritia erat commendatus *e*), ingenii doctrinaeque suae specimina ediderat, recitando versus, ut divus Caesar loquitur, *elegantes f*), poetico et *prisco more* in imperatoriae Majestatis laudes *g*), adnexo voto, ut Apollinari laurea Augustissimi munificentia donaretur *h*); cujusmodi quidem honor ac dignitas, quam candidatus obtinuit, nemini ante *Celtem* inter Germanos aliquando obtigerat *i*). Lauream post ejus obitum *Viennae* adservatam fuisse, ex rumore communi tradit *M. Adamus k*). Quae quidem fama iis, ad quos manavit, fraudi fuit, errandique praebuit ansam; quasi ea laurea, qua *Celtis* est coronatus a *Friderico III.* Imperatore, ceu venerabile poeticae illius inaugurationis monumentum, apud *Viennenses* custoditum fuisset. Quod quidem factum ut esset, optant *Celtici* nominis cultores; at factum esse, nulla ratione tueri possunt. Est enim illa *Celtis* corona laurea, quam in Universitate *Viennensi* anno 1560 adhuc exstitisse affirmat *M. Denisius l*), laurea *Celtis* alia, ea nimirum, quam dono accepit a *Maximiliano I.* imperatore anno 1505 *m*), eum in finem, ut auctoritate Caesarea eandem aeri incidendam curaret. Lauream istam, quam *argenteam* esse dicit *Celtis*, testamento legavit anno 1508 academiae *Viennensi n*). Quae si recte intellixisset *G. Ern. Waldau o*), non accusasset

M. Denisium erroris, aut anachronismi, quod scripserit, recepisse *Celtem* ab imperatore lauream anno 1505. Neque desiderari in repraesentanda *Celtis* coronatione studium operamque suam passi sunt artifices. Recentior quidam *Brunswicensis* scalptor exhibet inaugurationem illam elegantius figura aeri incisa *p*), at artifex *Norimbergensis*, *Celti* coaevus, figura rudiore insculpta ligno repraesentavit verius *q*).

a) Ea, quae superiori cap. ex *Proseutico* adduximus, uti certos nos efficiunt de anno, ita dubitare nos minime sinunt, die XVIII mensis Aprilis laureatum fuisse *Celtem*. Quare iis consentire haud possumus, qui Kalendis Maji id evenisse perperam enuntiant, velut *Fugger* im *Ehrenspiegel*, *Andr. Will* in *Norimb. Erudit. Lexico.*

b) Describit *Norimbergensem* hanc arcem, in qua coronatus est *Celtis*, suae *Norimbergae* Cap. V. Vocat eam *Caesaris et Romanorum regum domicilium, ubi Caesar Fridericus, ut hortis plurimum se oblectare solebat, pensiles sibi hortos fieri fecit; pilis onus sustinentibus, solum super stratum, quod herbarum et arbusculorum patiens est.*

c) Caesar ipsemet indicavit in diplomate sive epistola ad *Celtem*, quo ritu usus fuerit in creando poeta: „Te, inquit, per laureae impositionem, et annuli et osculi tra-„ditionem laureatum poetam ereximus, insignimus et facimus poetam laureatum „imperialis auctoritatis plenitudine, praesentium tenore litterarum, volentes, et „eadem imperiali decernentes auctoritate, ut tu, praefate *Protuci*, ubique locorum „et terrarum pro vero poeta laureato reputari et teneri, ac deinceps quibuslibet „honoribus, privilegiis, libertatibus, gratiis et praerogativis gaudere et potiri „possis, et valeas, quibus ceteri laureati poetae, etiam in nostra imperiali curia „degentes gaudent, fruuntur et utuntur &c."

d) De osculo Caesaris haec habet *Celtis* epigrammate XLVIII. Lib. II.

Cum dederas sacram, Caesar *Friderice*, coronam,
    Figebas nostris oscula blanda genis.
Ast ego dum *Romae* vidissem tecta *Nocentis*, *
    Oscula ferre suo jusserat ille pedi.
Oscula prona dedi; sed me mage Caesaris ora
    Delectant, *Nocuo* quam dare labra pedi.

* Erat is *Innocentius VIII.*, quem per antiphrasin *Nocentem* appellat. Ferunt, eum non fuisse unum ex laudatissimis Pontificibus. *)

*) Detracto, quod plurium liberorum spuriorum parens fuisse dicitur, vitio ei dant, quod imminens Sultano *Bajazetho* bellum, pecunia corruptus, averterit; quod indulgentias, quarum pretium elevari videbat, ad liberandas animas, in purgatorio igne detentas, extenderit; quod publica contra sagas judicia in Germaniam invexerit, cet. Hujus certe postremi moliminis manifestum habemus argumentum, ejus bullam, corpori juris canonici in *libro VII. Decretal. (c. 4. de malefic. et incantator. 5, 4.)* insertam. R.

e) Hunc eundem esse *Fridericum* Saxoniae Ducem, cui paulo ante dedicaverat *Artem versificandi*, plane persuasi sumus. Asserit quidem *Frid. Otto Menckenius* pag. 311. Tom. VII. *Miscell. nov. Lips.*, at nullo indicio, nec ulla idonei testis autoritate probat, fuisse illum *Fridericum Alberti Magnanimi filium, Teutonici ordinis magistrum, et capituli Magdeburgensis Coadjutorem. Fridericus* itaque *Ernesti* patris electoris *Saxoniae* paulo post heres et successor an. 1486, (teste *D. Chytraeo* pag. 50. Chron.) cui, ut supra monuimus, *Celtis* innotuerat opera *Mellerstadii*, litterarum meliorum alumnum, de quo bene sperabat, memor triti illius: *Honos alit artes,* commendavit imperatori *Friderico III.*, auctorque fuit, ut poetica laurea ornaretur, quemadmodum testatur Sodalitas litt. Rhen. hisce verbis: *Friderici Saxoniae Ducis suasu et ductu coronam poeticam a Caesare meruit.* Id ipsum *Celtis* ipse non semel professus est palam grato memorique animo. Ac ipse quidem *Proseutico* mox inseruit ad Maecenatem suum carmen eucharisticum, quod incipit:

> Ensifer imperii, clarus et in ordine lector,
> Dux, Decus, o patriae Spesque Salusque tuae;
> Quae tibi, quae tali reddam pro munere dona,
> Dum cingunt crines, te Duce, serta meos?

Anno 1501 similia his repetit in epistola, praefixa operibus *Rhoswithae*, quae in grati animi significationem eidem Saxoniae Duci inscripsit. *Primus ego,* inquit, *inter Germanos litterarum ornamenta et insignia, ac imperialem laurum a Caesare, tuo, princeps illustrissime, ductu et monitu accepi.* Post haec multus est in enarrandis laudatissimi Principis virtutibus ac meritis in rem publicam, non civilem solum, verum etiam litterariam.

f) Haud satis aequum Musae *Celticae* censorem egit *Freytagius* pag. 720. Tom. III. *Apparat. litt.*, asserens: *Celtem non suis meritis, sed Friderici Sax. electoris intercessione, multisque suis et amicorum precibus, sertum laureum ab imperatore obtinuisse.* Quodsi *Lipsiensis* criticus rationem habuisset tum aetatis, qua *Celtis* vixit, tum temporis, quo illi versiculi in *Proseutico* obvii, celeriter potius effusi sunt, quam seria meditatione elaborati; tam dura virgula *Celtem* non excepisset.

Scitari praeterea lubet, quo auctore aut teste didicerit *Freytagius*, praeter *Friderici* Saxoniae Ducis intercessionem, *suis amicorumque multis precibus*, sertum illud laureum ab imperatore emendicasse *Celtem?* Tandem neque sui satis memor erat censor *Lipsiensis*, dum provocat ad *specimen orationis solutae*, ut ostendat in hoc etiam scribendi genere *Celtem* a barbarie non abesse; quandoquidem obliviosus accusator e *soluta Celtis oratione* ne verbulum adduxerit, exempli causa. Sed de *Celtis* meritis in rem poeticam alibi opportunior erit dicendi locus.

g) Declarat imperator in diplomate, sive epistola ad *Celtem*, quibus rebus fuerit adductus ad impertiendam lauream; neque reticet artis poeticae specimina coram se edita, antequam Apollinari corona laureae candidatum ornaret. *Attendentes*, inquit, *quo in honore aut pretio fuerint poetae et carmina poetarum apud imperatores latinos atque graecos; cum in illa arte Tu, Protuci, diu multumque sis versatus, et idcirco omnium judicio peritissimus evaseris, cujus rei amplam apud nostram Majestatem imperialem hodie tui ingenii et poeticae doctrinae degustationem dederis, complures etiam ac elegantes versus coram nobis poetico et prisco more in nostram laudem dignissime recitaveris: Nos animo deliberato, non per errorem aut improvide, sed ex certa scientia nostra, tua id doctrina et poetica disciplina exigente, te per laureae impostionem poetam insignimus etc.*

h) Venit haud dubie in censum illorum carminum, quae coram Imperatore recitavit *Celtis*, elegidion illud, quo petivit coronam poeticam, inscriptum: *Ad Divum Fridericum tertium Conradi Celtis Elegiacum proseuticum pro laurea Apollinari*, quod integrum refertur a *Freytagio* l. c. et insertum quoque legitur *Indici generali litt. Lips.* an. 1801. Num. 40., atque ita habet:

Caesar in orbe decus, doctorum gloria vatum,
   Dum tribuis meritis praemia digna suis,
Cinge, precor, viridi, mereor si forte, corona
   Tempora; contingat laurea sancta comas!
Tunc ego pro tanto semper tibi munere vinctus
   Cantabo laudes, dum mihi vita, tuas.
Dum mihi vita manet, tollam super astra nepotes
   Caesaris aethereos, inclita fata canens.

Epigrammati huic *proseutico* praemissa est epistola *Celtis*, oratione pedestri ad eundem Imperatorem, ejusdem argumenti, scripta eadem die, qua est laureatus. Integram transscripsit *Jac. Burckhardus* pag. 297 sq. Tom. II. *de fatis L. L. in Germ.*, quam, quoniam brevis est, nos quoque exhibemus: *Optarem, Friderice, Caesar invictissime, pro ineffabili tua in omnes benevolentia, hodie mihi tantam*

a sacratissima majestate tua gratiam et gloriam elargiri, ut poeticae disciplinae laurea celeberrimis vatibus me saltem adscriberes, quod etsi longe merita mea atque insitam ingenii mei tarditatem transcendat: constitui tamen, conaborque summis viribus, quoad vixero, jucundissimis Musarum studiis immorari, amplissimas laudes tuas, toti orbi pervagatissimas, pro immortali hoc in me officio tuo, rudi incomptoque carmine tenuiter saltem, posteris saeculis relaturus. Vale, Caesar, Moderator orbis. Coronatione peracta, vero pariter est simile, recitasse **Celtem** coram Imperatore carmen illud *eucharisticum*, quod *proseutico* adjungitur, inscriptum: *Ad Imperatorem **Fridericum** tertium, **Conradi Celtis**, poetae laureati, gratiarum actio, post impositionem poeticae crinalis.* Occurrit illud rursus apud **Freytag** l. c. et in *Indice universali litterario Lips.* l. c., hisque tribus distichis absolvitur:

Cinxisti viridi, Caesar, mea tempora lauro;
Ecce, meas ornat laurea sancta comas.
Ast ego pro tanto semper tibi munere gratus
Cantabo laudes hic et ubique tuas.
Non mea me virtus tali nunc munere dignum,
Sed fecit Princeps Ensifer imperii. *)

*) Non possum, quin hoc loco repetam, quod paulo ante (not. *f.* hujus cap.) monuit auctor. Si quis forte cum *Freytagio* et epistolam illam, et haec elegidia minus exquisite et venuste composita existimet: mitius, credo, judicabit, quamprimum ea non tam praemeditata, quam subito et ex tempore fuisse prolata, expenderit; deinde haud oportere, paucis, ubi longe plurima nitent, offendi maculis; postremo neminem eorum, queis

Doctus Apollo
Pocula Castaliis plena ministrat aquis,

non aliquando dormitare. R.

i) Equidem *Aeneas Sylvius*, Senensis, ante **Celtem** anno 1442 *Francofordiae* in numerum poetarum, solemni ritu, a **Frid.** *III.* Imperatore est relatus; velut recte adnotat post **Burckhardum** pag. 134. de *fatis* &c. **Jac. Bruckerus** in *vita* **Celtis**: **Celtis** tamen inter *Germanos primus* extitit, cui id honoris a Caesare conferretur, qua de re saepe est gloriatus. Noti sunt ejusdem versiculi:

Primus ego titulum gessi, nomenque poetae,
Caesareis manibus laurea nexa mihi.

k) **Adamus** in *vita* **Celtis**: „Laurea ejus, inquit, adhuc hodie *Viennae*, ubi docuit, „asservari dicitur."

l) Ex carminibus, quae an. 1560. *Viennae* prodierunt, occasione actus poetici, constare asserit *M. Denisius* pag. 595. *Wiens Buchdr.*, lauream, quam ab imperatore an. 1505 accepit *Celtis*, apud universitatem *Viennensem* tum aetatis adservatam adhuc fuisse.

m) Lauream a *Maximiliano I.* Imper. sibi dono datam *Celtis* exhibet incisam aeri, in *Rhapsodia*, duobus adjunctis distichis, quibus Imperatorem ita loquentem inducit: *Hanc laurum dedimus Conrado &c.*

n) Morti proximus eandem *Maximilianeam* lauream testamento legavit *Viennensi* academiae, hisce verbis: *Ego jure legati relinquo Universitati floridae studii Viennensis privilegium creandi poetas laureatos per lectorem ordinarium poeticae, quod ab invictissimo Principe, Romanorum Imperatore, Domino Maximiliano, semper Augusto, propriis impensis impetravi; similiter et lauream argenteam cum sigillo argenteo eidem Universitati relinquo.*

o) G. C. *Waldau* pag. 235. Tom. II. *Beitraege zur Gesch. Nürnb.* 1787. 8.

p) *Brunswicensis* in *Calendario hist. Geneal.* an. 1797 ad mensem Octobrem, diademate insignem et purpura, cinctumque corona principum procerumque imperii Imperatorem *stantem* exhibet; *Celtem* vero *sedentem* ad mensam, dum laurus ipsi ab imperatore imponitur.

q) *Norimbergensis* artifex Caesarem insculptum litterae C, quae majuscula est, atque initialis carminis proseutici, quod incipit: *Caesar in Orbe decus &c.* repraesentavit specie *stantis*, qui coronam lauream suspensam tenet supra verticem *Celtis*, *in genua provoluti.*

CAPUT XIV.

ITER SARMATICUM, ET COMMORATIO CRACOVIENSIS.

A Caesare lauro poetica ornatus *Celtis*, ut, quod animo destinaverat, pleniorem sibi compararet totius Germaniae notitiam, tum geographicam, tum historicam: non interiores duntaxat illius regiones sibi peragrandas putavit; sed penetrandum ad extremos usque ejusdem limites. *a*). Eam in rem statuit ipse sibi, ad quatuor mundi plagas, visendas Germaniae civitates quatuor, videlicet *Cracoviam* ad orientem, *Ratisbonam* ad meridiem, *Moguntiam* ad occidentem, ad septentrionem denique *Lubecam*, tanquam germanici sui itineris terminos; quas quidem tetragonas urbes ejusdem fere longitudinis atque latitudinis esse contendit *b*). Verno itaque tempore *c*) an. 1487 adiit *Cracoviam*, quam appellat *Crocam*, Germaniaeque latus orientale. Qua via *Cracovinam* in urbem fuerit delatus, exponit ipsemet Sapphica illa Ode, qua suum ex *Italia* reditum enarravit. Ex *Suevia* nimirum, visis *Danubii* fontibus, per *Noricum*, ubi fuit coronatus, profectus est in *Bohemiam*, et *Silesiam*, hincque *Cracoviam*, quae caput est *Sarmatiae d*). Florebat in ea Musarum sede, ceteras inter disciplinas, tum aetatis potissimum Astronomiae studium *e*), cujus penitius percipiendae desiderio tenebatur novus advena. Versatus itaque cum sit in illa academia annos duos, discendo maxime, docendoque id temporis exegit. Didicit quidem *Alberto* (non *Bruto*, ut habet sodalitas Rhenana, neque *Bruteno*, ut alii scribunt; sed) *Brudlewo* praeceptore, mathematicas disciplinas, praecipue Astronomiam *f*). Utque *Polonos* lingua sua loquentes intelligere, et alloqui posset, sarmatice loqui didicit *g*). Quemadmodum antequam in Italiam iret, ut supra me-

minimus, *Erfordiae*, *Lipsiae* et *Rostochii* adolescentes instituerat in arte poetica aut oratoria; ita perrexit hoc in instituto, cum apud *Cracovienses* versaretur. Duos, qui ibidem *Celte* magistro usi sunt, nominasse sufficiat, *Laurentium Corvinum h)* et *Joannem Aesticampianum i)*, litteris claros. Stylum praeterea exercuisse *Celtem*, patet ex carminibus, quae ibi elucubravit. Metro descripsit *Salinas*, quas viderat prope *Cracoviam k)*. Enarravit pariter carmine elegiaco *Vesontium*, taurorum silvestrium, venationes; *Vistulaeque* fluvii ortum ex alpibus *Carpaticis*, progressionem, exitumque in sinum *Codanum l)*. Mitto id genus poemata alia, quae ad *Sarmatiam* referuntur, obvia in libris Elegiarum, Odarum et Epigrammatum *m)*. Ex quibus pariter edocemur, *Celtem*, dum *Cracoviae* morabatur, poetam *laureatum* jam fuisse *n)*, atque in *Cracoviensi* academia perorasse palam *o)*, duosque annos ibi commoratum *p)*. Inter praecipuos, quos ibi amicos habuit, a sodalitate Rhenana numerantur: *Andreas Pegasus q)*, et *Philippus Callimachus r)*, quem, ut in vita superstitem ornavit carminibus, *s)* ita fatis functum prosecutus est epicedio *t)*. Post *Celtis* abitum *Cracoviense* gymnasium de veteri splendore multum amisisse, remque litterariam ivisse in deterius, *Joannes Aesticampianus* testatum facit *u)*.

a) Quo consilio tam diuturnas, et multis cum difficultatibus conjunctas per Germaniam peregrinationes susceperit, *Celtis* aperit, pluribusque verbis exponit in epistola nuncupatoria ad *Fridericum*, Saxon. Ducem, Electorem, praefixa *Roswithae* operibus. *Difficili*, inquit, *et longa peregrinatione, non sine peculii mei, et prosperae valetudinis jactura, Germaniae nostrae fines, et ejus interiora perlustravi;* non tantum ut regiones viserem, notaremque civitatum situs, montium juga, fluviorum ortus atque decursus, silvarumque amplitudinem, et quae sunt id genus alia, quae sibi vendicat Geographia; sed vel maxime, *ut antiquos et nondum impressos inquirerem codices, et siquos in Hercynia silva, alpibus, Obnobiisque montibus et vastis Germaniae solitudinibus, paludibus, etiam in monasteriis et coenobiis Druidarum . . . . invenissem, nostrorum seculorum felicitate per impressoriam artem, a nostris hominibus inventam, in lucem proferrem . . . . Accessit mira mihi quaedam historiarum Germanicarum, vicinarumque nobis nationum cupido. Ut siquos invenissem de regibus et imperatoribus nostris codices, aut illorum dare gesta, aut dicta ab externis vel nostratiis litteris mandata, illos in lucem ederem, aut ad illustratam nostram Germaniam, quae in manibus est, inferrem.*

b) Horum Germaniae limitum speciem quamdam sistit iconismus, ligno incisus, qui praefigitur libris Amorum. *)

*) Exhibet nempe is orbem seu circulum majorem, cujus ambitu et circulus minor, qui medium locum occupat, et quatuor quadrangula continentur. Circellus ille hanc habet inscriptionem: *Boemia, Albis fluvius in media Germania.* Primum quadrangulorum a parte sinistra inscriptum est: *Croca, Vistula, Oriens, Adolescentia.* Alterum supra: *Ratisbona, Danubius, Meridies, Juventus.* Tertium a latere dextro: *Moguncia, Rhenus, Occasus, Senectus.* Quartum denique infra: *Lubecum, Sinus Codanus, Nox, Mors.* Extra circulum Latinis respondent Graeca: Ανατολη, Μεσημβρια, Δυσμη, Αρκτος. R.

q) Quo anni tempore venerit *Cracoviam*, exponit Elegia III. Libr. I.

Dum novus in verno pubescit tempore mundus,
    Et solvit tepidos humida terra sinus;
Ut pariat flores, roseis et lilia campis,
    Et tegat umbrosis frondea tecta comis:
Ipse peregrinas cupiens tum visere terras,
    Regna malis avibus *Celtis* Eoa peto.
Quique suis vastis cum cornibus explicat undas
    Vistula, Teutonicis qua modo meta plagis.

Quod *malis avibus* in Sarmatiam delatum se esse dicit; repetit a tempestate oborta, cum *Cracoviam* erat ingressurus. Refert, horribili tonitru territum equum, quo vehebatur, seque excussum, ut exanimi similis jaceret humi; tandem cum ad se rediit, audivisse *Apollinis* vaticinium, quo fuerit edoctus, quae eventura sibi essent in posterum. Sed relinquamus ista fictioni poeticae.

d) Iter in Sarmatiam se fecisse per *Sueviam, Noricum, Bohemiam, Silesiam*, satis aperte ipsemet tradit Ode hodoeporica, ad quam supra *cap. XI. not. b.* provocavimus. Postqaum enim affirmaverat, se vidisse *Rheni, Danubiique* fontes, et *Albis* ac *Silesi* cursus, ita pergit:

Vistulam recto pede deinde poscens,
Sarmatis latos ubi terra campos
Pandit, et celsis ubi *Croca* tectis
            Regia surgit.

e) Quo loco tum aetatis Academiae *Cracoviensis* res fuerint, testatum facit scriptor coaevus, *Norimbergensis* quondam medicus, *Hartmannus Schedel*: „*Cracoviae*," „inquit in append. magni sui chronici editi an. 1493 fol. 2. „ingens est, et celebre gymna-

„sium, multis clarissimis doctissimisque viris pollens; ubi plurimae ingenuae artes „recitantur. Studium eloquentiae, poetices, philosophiae ac physices. Astronomiae „tamen studium maxime viret. Nec in tota Germania, ut ex multorum relatione „satis mihi cognitum est, illo clarius reperitur. Illic jam maxime Phoebus colitur.“

f) Paucis complectitur sodalitas Rhenana, quae *Celtis* egerit *Cracoviae. Sarmatas*, inquit, *adiit, ibique astrorum studio vacavit, praeceptore Alberto Bruto*, quem *M. Denisius* appellavit *Albertum de Prussia.* Cracoviensem hunc astronomum in actis illius Academiae vocari *Albertum de Brudlewo*, per litteras mihi significavit an. 1797 *Hyacinthus Przybylski*, Cracoviensis professor. *Celtis* equidem, ut erat in permutandis nominibus perquam facilis, ac liberalis, *Brutum* eum appellavit; oden, quam in illius laudem composuit, hunc in modum exorsus:

Brute, coelestum relegis beatus
Syderum cursus etc.

Hinc arbitror, errorem fluxisse eorum, qui *Bruti* vel *Bruteni* nomine *Albertum* compellarunt. Erat *Albertus Nicolao Copernico* junctus amicitia. Vocavit *Celtem* in epistola ad eum data an. 1491 *filium suum primogenitum. Exsolvisse eruditissimum virum in Lituania an. 1493 IV. Id. Maji naturae debitum, non sine academiae Cracoviensis detrimento singulari*, scribebat eodem anno ad *Celtem Jo. Aesticampianus*, eademque repetebat an. 1497 epistola alia *Cracoviae* ad *Celtem* data.

g) In perdiscenda lingua *Polonica* usum se esse magistro *Bernardo Vilisco Roxiolano*, indicat *Celtis* Elegia IV. Libr. I. ejusdem inscripta nomine, incipitque:

Quae venit in claram tibi segnis epistola dextram etc.

Postquam *Bernardum* commendaverat a studio artis poeticae, sincera amicitia, prudentia, liberalitate, ac dotibus aliis, subdit:

Tunc ego condidici, te praeceptore, puellae
Sarmaticae linguae barbara verba loqui.

h) Laurentius Corvinus (alias Raab) *Novoforensis* (Neumark) Silesius, *Cracoviae* discipulus *Celtis* minime industrius, quemadmodum ductus poenitentia, iteratis ad suum quondam praeceptorem litteris confitetur. En initium epistolae, quam ad *Celtem* dedit Vratislavia an. 1501. *Cum*, inquit, *memoria teneo, jucundissime praeceptor, id temporis, quo inter duros tecum vixi Sarmatas, et in honestissimo alumnorum tuorum coetu ultimus, et ingenio magis hebeti fuerim, non possum non vehementer ingemiscere, quod non plus operae sub tua eruditione in litterarum in-*

quisitione fecerim. Poenitet me, heu poenitet etc. etc. Instituit *Corvinus* juventutem litterariam tum *Vratislaviae*, tum alibi. Inter opuscula, quae edidit, notissimum est ejus *Idioma latinum.* Cetera ejus scripta ac gesta plenius exponunt *Martinus Hancke* in libro de Silesiis eruditis pag. 204.; *J. H. Conrad* pag. 44. Silesia Togata; *J. D. Janozki* pag. 63. Zalusk. Bibl. Nec praetereunda est *Jo. Jac. Füldeneri* Bio- et Bibliographia Silesiaca Reposit. I. Vol. I. pag. 351.

i) *Joannes Aesticampianus* a patria *Sommerfeld* in Lusatia inferiore ita nominatus, dictus etiam *Rhagius*, a vocabulo *Rák*, quod, ut notat *M. Denis.* pag. 124 *Wiens Buchdr.* lingua Wandalorum *Cancrum*, germ. *Krebs* designat, quo nomine ejus patrem vocatum fuisse censet. Fuisse *Aesticampianum* Cracoviae *Celtis* discipulum, discimus ex epistola *Joannis Dalburgii*, scripta ad *Celtem* an. 1502 Nonis Novembribus. Gratulatur in ea *Celti* de optimo frugis discipulo. „Hoc solum, inquit, admonemus, hominem (*Jo. Aesticampianum*) nobis „indies doctiorem videri; et gratulamur cum tibi, qui prima illi rudimenta, etiam „in barbarissimis *Sarmatiae* locis, impresseris; tum Germaniae. Ecce enim spes „altera nostrae!". Docuit *Aesticampianus Lipsiae*, *Moguntiae*, *Cracoviae.* Monumenta ingenii, quae reliquit, recenset *Freytag Apparat.* T. I. p. 168. *Riegger* Amoenit. p. 216. 255. *Janozki* pag. 82. T. II. *Nachricht der Zaluskischen Bibl.* Vitam *Aesticampiani* luci exposuit *Mich. Lebr. Markgraffius* Lips. 1703. 4. *)

*) De *Aesticampiano* vid. etiam supra dicta cap. IX. *not. f)*, et **); item cap. XI. *not. a).*

k) Est Elegia VI. Libr. I., quae inscripta est: *Ad Janum Terinum de Salifodinis Sarmatiae, quas per funem immissus lustraverat.* Incipit:

Jane, calens gelidis repetebam saepe sub antris,
Cur nullo nobis tempore scripta dares.

Post *Celtem* easdem *Sarmatiae* salinas tum apud *Veliscum*, tum apud *Bochniam* vidit et descripsit copiose non minus ac eleganter *Joachimus Vadianus*, *Celtis* discipulus, in suis ad *Melam* commentariis, pag. 180 seq. Bas. 1522. fol.

l) Libro I. postremum locum occupat. Ejus initium est:

Vistula Carpathi ducens radicibus ortum,
Quae sua Pannoniis aurea dona ferunt.

m) Agunt de situ *Cracoviae*, de monte *Carpatho* sive *Suevo*, de *Sarmata* hippophago, frigore *Sarmatico*, *Buccula* (est vestimenti muliebris genus) *Sarmatarum*, de *Casimiro* primo rege *Poloniae*, de moribus et jejunio *Sarmatarum etc. etc.*

n) Relege ea, quae in eandem rem supra cap. II. not. *h)* protulimus ex Ode XII. Libr. I., qua *garrulum Vindelicum* male depexuit, qui *Cracoviae* sibi objecerat generis aut natalium obscuritatem. Cui respondens *Celtis* affirmavit se nobilem ob laurum poeticam, qua fuerit donatus a Caesare; hunc enim in modum canit:

At mihi caesarea frondescant tempora lauro.

Idem declarat Ode V. Lib. I. ad *Andream Pegasum*, *Sarmatam*, virum consularem dum se laurigerum vocat:

Lauriger curas tetricas fugabo,
Temperans chordas cytharamque Phoebi,
Dum mihi Musae faveant sub omni
Tempore laetus.

o) Carminis in laudem *Sarmatiae*, quod recitavit palam in Academia *Cracoviensi*, pars aliqua sive exordium, quod captationem benevolentiae continet, exhibetur ad calcem libri primi epigrammatum, inscribiturque: *Ad gymnasium Cracoviense, dum orare vellet.* Decerpimus inde nonnulla:

Quam trepidant vario titubantia corda tumultu!
Quam validus tangit pectora nostra timor!
Cum dicturus ero Cracovina forte palaestra,
Fama cujus toto docta sub orbe volat.
Quippe per ingenuas late caput extulit artes,
Ingeniique sui lumina magna dedit.
Ast ego, cui tenuis consedit pectore Pallas,
Undique et incultus moribus ipse meis,
Audeo stridenti resonantia carmina nervo
Promere, et ad tantos cruda referre viros.
Parce, precor, mihi docta cohors, et docta juventus,
Parce, precor, rigidis, docta senecta, lyris.
Si mea nunc tenui texuntur verba Minerva,
Doctior ex vobis post mage grata canam.
Suscipite ergo viri faciles mea verba per aures,
Virtutum vobis quae monumenta ferunt.

p) Biennio se apud *Sarmatas* moratum esse, indicat Ode XI. Libr. I. ad *Sigismundum Fusilium (Gossinger)*, quem ita alloquitur:

Fusili, binis mihi notus annis,
Dum peragranti mihi Sarmatarum
Terra lustratur, gelido propinqua
Frigida coelo.

Sigismundus Fusilius, patria *Vratislaviensis*, quocum annos duos *Cracoviae Celtis* vixit familiariter, Ecclesiae *Vratislaviensis* erat Canonicus, eruditione et nobilitate clarus. More illorum temporum, studiorum causa peregre abiit in Italiam. *Romae* moratus annos duos, misit an. 1492 ad *Celtem* orationes et carmina, quae occasione novi Pontificis *Alexandri VI.* in lucem prodierant. Dicavit ei *Philippus Beroaldus declamationem ebriosi, scortatoris et aleatoris*; laudavitque eum a studio litterarum et sanctitate morum, affirmans, non tantum canonicatu, sed et episcopatu illum esse dignum.

Ode XXIII. Libr. I. ad *Statilium Simonidem*, medicum et philosophum, rursus testatur *Celtis*, biennium apud *Sarmatas* se exegisse:

Bis per obliquum roseam reduxit
Lampadem Phoebus rubicundus orbem,
Bis fuit claris hebetatus astris
Portitor Helles. *)

Dum vago Celtis pede sum receptus
Sarmatum campis, ubi rarus altis
Moenibus murus, facies nec ullis
Urbibus exstat.

*) *Lucan.* 4. 57. *Delapsae portitor Helles*, i. e. aries, quem *Helle*, Athamantis Thebarum regis filia, cum *Phryxo* fratre conscenderat, ut novercales effugerent insidias, atque in Asiam trajicerent. At *Helle*, qua parte fretum angustius est, undarum strepitu perterrefacta, in mare decidit, et submersa nomen dedit *Hellesponto*. *Phryxus* autem incolumis Colchos ad *Aetam* regem pervenit, ubi arietem *Jovi*, vel ut aliis placet, *Marti* immolavit, ejusque vellus aureum in templo suspendit, unde postea Argonautae illud abstulere. Ipse vero aries inter sidera relatus *tempora nocturnis aequa diurna facit.* R.

q) De *Andrea Pegaso*, cui *Celtis* inscripsit Odam V. Libr. I., quae incipit:

Cui dedit nomen volucer Caballus
Pegasus etc.

pauca nobis constant. Etiamsi enim Ode ista, quam a *Celte*, dum *Cracoviae* praesens erat, compositam fuisse, dubio carere arbitramur, admodum longa sit,

fere tamen versatur in monitis atque praeceptionibus philosophicis; ac praeter nobilitatem generis, doctrinam, studia, profectionem in Italiam, liberalitatem porro aliasque dotes de *Pegaso* vix quidquam habet, quod huc referri mereatur.

r) *Philippus Callimachus* Florentinus, historicus, orator, et *vatum doctissimus,* ut eum vocat *sodalitas Rhenana,* adscriptus sodalitio litterario, cujus *Romae* auctor erat *Pomponius Laetus*, sibi male metuens, ne a *Paulo II.*, nescio qua suspicione decepto, comprehenderetur, relicta Italia exul abiit in *Poloniam.* A rege *Casimiro* benigne exceptus, regiaeque juventuti datus in moderatorem, post regi a secretis, in regni administrandis negotiis partem habebat plurimam, invidiamque sibi homo exterus conscivit aeque magnam. Qui singularia, haud ubivis obvia, de illo nosse percupit, legat *Martinum Cromerum* pag. 816. apud *Jo. Pistorium* Tom. II. rerum Polonicarum. Vid. quae diximus ad cap. II. not. *a)* et cap. X. not. *l)* R.

s) *Philippo Callimacho* inscripta est Ode VII. Libr. I., incipitque

Jam nostras tibi mittimus, Philippe,
Nugas horridulas et impolitas.

Postquam eum dixerat poetarum *principem,* qui regum et procerum res gestas apte canat, legendus, suspiciendusque ab omni posteritate, hunc in modum finit:

Forsan ista tamen tibi placebunt,
Aequaevus mihi consodalis olim.

Duo posteriores hi versiculi desunt in cod. msc. Norimb.

t) Vita excessit *Callimachus Cracoviae* an. 1496. Scripsit *Celtis* defuncto epitaphium, quod legere est libro IV. epigrammatum Num. 67., quod, quia breve est, huc transscribimus:

Loquitur Callimachus:
Cum sociis ego primus eram, qui carmina prisca
Veximus in Latium Romuleumque polum.
Non potuit *Paulus* doctorum ferre labores,
Extorres patria fecerat Ausonia.
Hinc ego Sarmatici proscriptus ad atria regis,
Et sepelit corpus *Croca* superba meum.

u) Scribebat *Aesticampianus* an. 1499 *Cracoviae* ad *Celtem: Non in tanto stat flore nostrum gymnasium, ut olim, cum tu ipse praesens aderas.*

CAPUT XV.

MAGISTERIUM PHILOSOPHICUM.

In illud tempus, quod exegit *Celtis Cracoviae*, incidere arbitramur *magisterium* ejus, sive *doctoratum* philosophicum. Eo quidem academici honoris gradu eum non reputamus fuisse insignitum *Coloniae*, cum studiis philosophicis ibidem daret operam: quoniam *Heidelbergae*, quo ex *Coloniensi* academia anno 1484 migravit, in albo academico nomen ejus conspiciatur absque *Magistri* artium titulo *a*), quem tamen in aliis, qui eo gradu gaudebant, diligenter adnotatum vidimus *b*). Neque est opinandum, *Heidelbergae* suprema magisterii philosophici laurea eum fuisse decoratum, quandoquidem amoenioribus potius litteris, ut supra ostendimus, perdiscendisque linguis peregrinis, graeca atque hebraea totum se ibi dicaverit; de philosophia, ut videtur, parum sollicitus. Neque suppetit aliqua ratio, quae persuadeat, apud *Erfurtenses*, *Lipsienses*, aut *Rostochianos* nactum eum esse illum dignitatis gradum; eo quod his in academiis brevis admodum ejus mora fuerit, praeterquam quod longe aliis studiis, ut ex dictis patet, tum fuerit intentus *c*). Quicunque apud *Italos* id honoris illum tulisse assereret, non haberet ne probabilem quidem conjecturam, quae dictum confirmaret *d*). Restat itaque, ut statuamus, quod est vero similius, *Celtem* hac dignitate auctum fuisse *Cracoviae*. Id quod maxime hanc sententiam probabilem efficit, est, quod et disciplinis philosophicis in *Cracoviensi* academia navaverit operam, et *Albertus Brudlevus* Cracoviensis mathematicus, *Celtem* appellaverit *filium suum primogenitum e*). Hinc inferre licet, *Celtem* aut primum fuisse, cui *Albertus* eum honoris gradum contulerit, aut eum fuisse unum ex praecipuis, quibus id honoris est impertitus. His accedit, demum post reditum e Sarmatia *Celtem Magistri artium et Philosophiae doctoris*

nomine fuisse ab amicis salutatum, uti constat ex eorum ad ipsum epistolis *f)*. Fatendum denique est, fuisse eum potius delectatum nomine *Poetae*, quam *Magistri g)*, quanquam in epistola ad *Pierium Graccum* et *Joannem Fusemannum*, praefixa *Apulejo* de Mundo, quem edidit *Viennae* an. 1497, insolenti nuncupatione se nominaverit *Triformis Philosophiae Doctorem h)*.

a) Legitur in matricula *Heidelb.*, praetermisso *Magistri* titulo: *Conradus Celtis Franco;* quemadmodum supra comprobavimus auctoritate testis autopti *Cap. VIII. not. b)*.

b) Liquet inspicienti editum a *Joanne Schwabio*, professore Heidelbergensi, *syllabum Rectorum* academiae *Heidelbergensis*, in quo post recensionem Rectorum exhibentur nomina nobilium, atque praecipuorum, qui sub singulis Rectoribus albo academico inscripti fuerunt.

c) Celtis libellus de *arte versificandi* videtur lucem aspexisse *Lipsiae* an. 1485 aut sequente. In prima hujus opusculi editione nec *poetae laureati*, nec *magistri artium* titulus comparet. Quae argumento sunt, eum, cum *Lipsiae* ageret, nec poetam laureatum fuisse, neque magistrum artium, quo posteriore certe titulo non abstinuisset, si jure uti potuisset.

d) Neque, posteaquam ex *Italia* rediit, in *Proseutico*, quod censetur editum an. 1487; neque in Diplomate Imperatoris, eodem anno *Celti* concesso, vestigium quoddam apparet de *Magistri* philosophici titulo.

e) Epistolam suam ad *Celtem* ita orditur *Albertus Brudlevus: Salve mi fili! iterum salve primogenite!* Finit hunc in modum: *Ex Cracovia anno 91, Albertus Pater tuus.* Est autem exploratum, viguisse in academiis quondam hunc morem, ut promotor *Patris*, promotus *Filii* nomine honoraretur. Suppetunt sane in actis *Friburgensis* nostrae academiae eam in rem exempla plura.

f) Anno 1492 salutatus fuit *Artium Magister* a *Joanne Bolknshain* ex *Vratislavia* III. Nonas Decembris. Eodem anno Philosophiae Doctor appellatus a *Bernardo de Waldkirch.* Fateor equidem, rationem temporis non obstare, quo minus id honoris in academia *Ingolstadiana* tulisse crederetur: id vero ut mihi persuadeam, velim proferantur ex actis illius academiae momenta certa, quae elidant conjecturas, quas pro *Cracoviensi* gymnasio supra adduximus. Quibus addendum etiam illud est, esse compertum, *Celti* cum professoribus *Ingolstadianis* non bene convenisse, quemadmodum e sequentibus elucebit.

g) Nomen *Poetae* libellis omnibus, quos edidit, praefixit; librisque, quos possidebat, appingere consueverat unacum insignibus suis haec verba: *Conr. Celtis Prot. poetae sum.* Etsi vero in actis academicis *Ingolstadianis* ad annum 1494, atque in *Vindobonensibus* saepius *Magistri* titulus ipsi tribuatur: ipsum tamen *Celtem* eum titulum nomini suo unquam apposuisse, nullibi deprehendi.

h) *Jo. Aesticampianus* an. 1497 e *Cracovia* scribebat ad *Celtem: Quod intitularis triformis Philosophiae Doctor, de triformi studio tuo exultans non invideo: magis miror, quod me eruditissimum vocitas.* Sequentibus annis plures, qui ad *Celtem* litteras dederunt *triformis Philosophiae Doctoris* titulo eum honorarunt; ut patet ex cod. msc. epist. ad *Celtem.* Quid sibi velit insolitus ille titulus, haud satis constat. *Bohuslaus de Hassenstein* indicat, eum esse intelligendum de *triplicis* linguae, hebraicae, graecae et latinae peritia. *Triplici laurea*, inquit pag. 84 lucubr. orat. *insignis; hoc est, hebraea, graeca, latinaque lingua de omni barbarie triumphasti.* In idem fere recidit expositio, quam reddit *Joannes Schlechta,* regis Pannoniae secretarius, Buda ad *Celtem* scribens anno 1498: *Plurimum*, inquit, *laudo, tum etiam probo labores suscepti operis, quos in propaganda et extollenda Philosophiae cognitione vel ultro suscepisti; ita ut dignitas illius non una, neque altera, sed etiam triplici lingua aucta per totam Germaniam nominata personaret.* At neque videtur a vero alienum, *Celtem triformis Philosophiae* nomine intellexisse Philosophiam *naturalem*, *moralem* et *rationalem.* Erat *Celtis* cultor atque studiosus Philosophiae *Platonicae*; quamobrem vocavit eum *Augustinus Moravus* in quadam epistola *Complatonicum suum.* Apertum autem est, a *Platonicis* universam Philosophiam in tres potissimum partes fuisse distinctam. Ita sane loquitur *Apulejus Platonicus* initio libri περὶ ἑρμηνείας: *Studium sapientiae, quod Philosophiam vocamus, plerisque videtur tres species seu partes habere: naturalem, moralem, et rationalem, qua continetur ars disserendi.* Atque id eo potiori jure contendere videor, quod *Celtis*, cum se *triformis Philosophiae Doctorem* dixit, *Platonici* Philosophi libellum ederet. Hoc ipsum, ut notat *Joannes Reuchlinus,* multis ante philosophos temporibus et invenerunt priores, et observarunt Judaei, qui eadem illa partitione ternaria inter se statum sibi publicum et vivendi et sentiendi praesumpserunt. Quod posteris prodidit ille princeps Tyriorum *Porphyrius* de abstinendo a carnibus animalium volumine quarto. Confer *Jo. Reuchlin.* praef. ad *Rabi Joseph Hyssopaei*, Judaei poetae carmen, quod ex hebraico in latinum transtulit, ediditque Tubingae 1512. 4. *Triformis Philosophiae Doctoris* nomine salutatus fuit an. 1499. 23. Apr. a *Conrado Schnepbach* ex *Monachio.* Eodem titulo eum salutavit *Hieronymus de Croaria*, Prof. Ingolst. an. 1500 in festis pasch. *Triplicis Philosophiae Principi Celti* scribebat an. 1500 *Quirinus Syndicus Lubecensis.*

CAPUT XVI.

ITER NORICUM.

Exacto apud Sarmatas biennio, ineunte anno 1490 *a)* *Cracovia* demigravit, et in *Noricum* profectus est *Celtis b)*. Eam quidem peregrinationem describit ipsemet elegia peculiari *c*). Recenset in ea regiones, oppida, flumina, quae in itinere vidit ac transiit; neque praetermisit mentionem facere de doctis viris, velut *Bohuslao de Hassenstein d*) et *Augustino Moravo e*), dum ferebat occasio patriae, aut loci, unde erant orti. Faciebat autem iter, ut inscriptio carminis praefert, per *Silesiam f*), *Bohemiam g*), *Moraviam h*); hinc delatus in *Pannoniam*, cujus, *Germaniaeque* extremum limitem statuit *Posonium i*). Inde, si recte conjicimus, descendit *Budam k*), haud diu post *Matthiae Corvini* regis obitum *l*). Visit bibliothecam regiam *m*), jucundeque vixit cum sodalibus litterariis, in quorum notitiam *Cracoviae* venerat *n*). Conferebant inter se sermones de coelo et terra, fluxu et refluxu maris, ventis, nebulis, iride, aliisque meteoris *o*). Atque hinc initia repetenda esse censemus sodalitatis litterariae *Hungarorum*, quae postmodum dicta est *Danubiana p*). E Pannonia reversus, peragrata ditione *Pataviensi*, *Ratisbonam* pervenit, aestivo tempore *q*).

a) Tam longum iter conficere non potuisset, neque vagari per tot regiones, ut aestivo tempore, quemadmodum paulo post referemus, *Ratisbonam* perveniret; nisi cum prima hirundine *Cracovia* avolasset.

b) Quid nomine *Norici Celtis* intellexerit, exponit ipse in libello de *Norimberga*. Nam de *Hercynia sylva* disserens cap. 3.: *Frisingum*, inquit, *Ratisbonam*, *Patavium*, *Noricas urbes*, *ipsumque Cecium (qui et mons Calvus prope Viennam Austriae)*, *Norici terminum*, *et Viennam Pannoniae attingens Hercynia silva*. Eam ob rem hoc ipsum iter a *Reusnero* in Hodoeporicis *Noricum* seu *Ratisbonense* inscribitur.

Celtem secutus *Franc. Irenicus*: *Norici*, inquit Lib. I. *Exeges.* cap. 20., *populi sunt inter Lycum et Oenum, usque ad Cecium montem prope Vindobonam porrecti. Habent enim a septentrione Danubium, et ab ortu montem Cecium, Pannoniam superiorem a Norico discernentem.*

c) Occurit haec elegia Lib. II. *Am.* num. 4. inscribiturque: *Hodoeporicon a Sarmatia per Silesiam, Boemos, et Moravos, et quae flumina ab illis exeant.* Incipit:

> Nuper ab Eois remearem ut *Celtis* ab oris,
> Laetus in Austrinas me referendo plagas.

Idem carmen legitur apud *Reusnerum* l. c. Primum autem versiculum ita refert:

> Nuper ab Eois remeans ego *Celtis* ab oris.

d) *Bohemiam* dum describit, meminit *Bohuslai de Hassenstein*, in quem ita canit:

> Hic *Bohusiaus* habet sua candida tecta Boemus,
> Musarum et patriae fulgida stella suae.

Erat is ortus ex nobili *Lobkowitziorum* genere, tum doctae *Bohemiae*, tum suae familiae summum et immortale decus. Inde a prima adolescentia ad obitum usque totum fere se tradidit studiis litterarum, mirificeque in illis profecit. Petivit discendi causa non *Italiam* solum, verum etiam pari incensus ardore contendit in Graeciae insulas, *Asiam*, atque *Aegyptum;* propterea appellatus *Ulysses Bohemicus*, doctorum hominum cultor, atque fautor singularis. Offensus aliquando a *Celte*, nescio, quo dicto factove, ut erat miti et placabili ingenio, immemor injuriae, ad consueta veteris amicitiae rediit officia, postquam *Celtis Viennae* salutandi causa eum accesserat, suaque illi obtulerat opuscula; velut elucet ex epistola *Hassensteinii* ad *Jo. Schlechtam.* Dicavit *Celtis Hassensteinio* oden sapphicam *de situ Pragae, sectis et haeresibus in Bohemia;* ejus exordium est:

> *Bosle* Bemorum decus, et ruentis
> Unicum lumen patriae resurgens;
> Fama quem clarum beat, et per omnem
> Provehit orbem.

Carmen istud primum apparuit in *Celtis Rhapsodia*, deinde auctius et emendatius in Odarum Celticarum sylloge recusum *Argentorati.* Scripsit *Bohuslaus* in *Celtis* obitum epitaphia plura, plena laudum. Exstant in collectione ejus *Poematum*, quam curavit *Thomas Mitis Pragae* 1570. 8. Ejusdem *Bohuslai* epistola, amicissime scripta ad *Celtem* affixa est lucubrationibus oratoriis, ab eodem *Th. Mite*, ibidem editis an. 1563. 8. Obiit vir incomparabilis in castro

suo *Hassenstein* an. 1510. Effigies illius exhibetur unacum succincta eleganteque biographia inter *Effigies virorum eruditorum Bohemiae et Moraviae.* P. I. pag. 13. sq. *Pragae* 1773. 8.

e) Disserens de *Moravia* commendat *Augustinum Moravum* hisce versiculis:

Hic *Augustinus* vates *Olomuntius* ortus,
Pannonii regis bellica gesta canit.

Augustinus Kaesenbrot, a patria communiter dictus *Moravus* aut *Olomucensis*; cujus ecclesiae primum *Canonicus* erat, postea *Praepositus.* Cum ad ingenuarum elegantiorumque artium studia se contulisset, *Platonica* tamen philosophia mirum in modum delectatus est, praecipuamque juris pontificii scientiae dedit operam, ejus facultatis doctor inauguratus *Bononiae.* Ex Italia redux *Uladislai Bohemiae* et *Hungariae* regis obsequio se mancipavit; primum *Secretarius*, post *Vice-Cancellarius* a rege constitutus. Gravioribus administrandae reipublicae negotiis distentus, humaniores tamen litteras colere, atque viris eo studiorum genere excultis impense favere nunquam desiit; *Danubianae* sodalitati, cujus erat socius, addictissimus. *Celtem* ad obitum usque amicitia nunquam interrupta est complexus; quod probat frequens inter utrumque ac familiare litterarum commercium. Suppetunt in cod. msc. epistolarum epistolae ejus decem ad *Celtem.* In ea autem, quae est vulgata typis insertaque *Celtis Rhapsodiae*, vocat *Celtem Complatonicum* suum. Obiit an. 1513. Aegre fero, ejus effigiem, unacum biographia desiderari inter *Effigies viror. erudit. Bohemiae et Moraviae.* Ex ingenii monumentis, quae reliquit, publicata sunt typis:

Dialogus in defensionem Poetices. Venetiis 1497. 4.
Catalogus Episcoporum Olomucensium. Viennae 1511. 4.
Guarini et Poggii antilogium. Viennae 1512.
Confessio Waldensium duplex ad regem Hungariae, impugnata ab Augustino de Olomucz. Testatur *Schierius*, se vidisse diversas, et *Lipsiensi*, quam producit *Melchior Lotter*, antiquiores editiones.

Dolendum est, *Augustini poemata*, quae ejus jussu *Celtis* Viennae typis exscribenda curavit, quemadmodum ex utriusque epistolis compertum est, vel in angulis bibliothecarum adhuc delitescere, aut, quod pejus est, temporum intercidisse injuria.

f) Quae *Silesiam* attinent, absolvit paucis his versiculis:

Suevus, qui *Slesum* socium sibi convocat amnem,
A quo nunc nomen *Slesia* terra gerit;
Slesia, quae pulchris habet oppida condita muris,
Visa caput quorum culta Uratislavia.

g) In *Bohemia* describenda non ita parcus, laudat eam a fertilitate soli. *Pragae* situm et amoenitatem praedicat, collesque vitiferos, quibus est cincta.

h) Quae de *Moravia* habet, haec sunt:

Hinc *Moravinus* ager, pluvium conversus in Austrum,
Marcomanos pingui sub regione fovet.
Hic *Igla* cum *Deio* tumidum emittuntur in *Istrum*,
Et *Mora*, quae genti nomina clara dedit.

i) Uti *Cracoviam* dixit esse *Germaniae* limitem versus *Orientem*, ita *Meridiem* versus *Posonium* Germaniae terminum appellavit:

Hic ubi *Posonium* consurgit turribus altis,
Limes *Teutonicis*, *Hungaricisque* viris.

k) Reticet equidem in *Itinerario* hoc carmine profectionem suam in *Pannoniam* inferiorem, ac urbem *Budensem*; quoniam id erat praeter ipsius institutum, qui potissimum ea sibi describenda sumpserat, quae *Germaniam* attinent.

l) *Matthia Corvino*, Hungariae rege, vivis erepto, *Celtem* fuisse *Budae*, indicat libri secundi ode secunda, qua valedicit sodalibus litterariis, antequam *Buda* discederet, hac usus spostrophe, qua carmini dedit initium:

Ultimo nobis celebrandi amici,
Pannones claris studiis faventes;
Quique sub coelo meliore nati,
Sole propinquo.

Agit per carminis decursum *de situ Budae et monstris, quae praecesserant mortem Divi Matthiae Pannoniae regis*; velut praefert titulus Odae. Idipsum confirmat suscepti itineris ratio, quod, ut supra adnotavimus, primo vere coepit an. 1490. At eodem fere tempore (5. Apr. 1490) vivere desiit rex *Pannoniae* modo laudatus.

m) Huc haud immerito revocamus ex eodem carmine verba *Celtis*:

Matthiae magni monumenta regis
Vidimus: priscis ibi multa seclis
Aequa, seu *Martis* studium sequere, aut
Palladis artes.

De regia Budensi bibliotheca Matthiae Corvini, ejusdem ortu, lapsu, interitu, et reliquiis, praeclaram dissertationem luci exposuit *Xystus Schier*, *Vindobonae* 1766. 4.

n) Ex illo *Budensi* litterario sodalitio fuisse, quos, apud *Sarmatas* cum teneretur, notos jam sibi habuerat ac familiares, eadem declarat ode sapphica. Revocat enim sociis in memoriam; quo medio, sub asperiore coelo, *Arctoum frigus* saepe pepulerint. Quae alio trahi haud possunt, quam ad commorationem illam *Cracoviensem*:

Saepius mecum rigido sub axe
Frigus Arctoum pepulistis altis
Noctibus, blando mea dum calebant
Tempora Baccho. *)

*) Lubet his addere strophen ultimam:

Cum data est nobis brevis hora vitae,
Et cito rugae properant seniles,
Hic erat felix, sua qui fugavit
Tristia laetis. R.

o) Solita haec fuisse convivantium studia, elucet non solum ex carmine, unde iterum iterumque fragmenta quaedam adduximus; verum etiam ex ode alia, qua sodalitatis litterariae *Rhenanae* instituta exponit *Lib. III. num. 5.*

p) Quid sit de sodalitatibus litterariis, quarum auctor erat *Celtis*, erit alibi opportunior dicendi locus.

q) Ex fluminibus et regionibus, quas ad finem elegiae *hodoeporicae* commemorat, palam fit, peragrata *Austriaca* atque *Pataviensi* ditione, se adventasse *Ratisbonae* in *Norico*, aestivo tempore:

Hinc *Campus* tumidis, nigrisque in fluctibus *Ilsus*,
Exit in *Austriacas*, *Pataviasque* plagas.
Norica rura petit *Regus*, conversus in Austrum,
Qua *Ratisbonae* moenia celsa micant.
Hinc ego ut *aestivae* dederam mea membra quieti, etc. *)

*) Non video, quare pentametrum reticeatur. Quid enim frequentius, magisque quotidianum, quam quod *Celtis* aperte atque ingenue profitetur:

Diripuit mentem pulcra puella meam. R.

CAPUT XVII.

COMMORATIO RATISBONENSIS.

Ratisbona altera est ex urbibus *tetragonis*. Constituit ea, *Celte* arbitro, latus Germaniae *meridionale* *a*). More poetico describit anni tempus, quo in eam urbem advenit *b*). Opinandum non est, quod *Celtis* indoli adversatur, ita eum haesisse *Ratisbonae*, ut limax cochleae. Excurrit itaque historiae patriae, rerumque Germanicarum homo studiosissimus in omnem late regionem. Observavit mores atque instituta gentis *Boicae* *c*), indagavit monumenta antiquitatis, busta, tumulos, aggeres, fana, arces, marmora, inscriptiones, sicubi extarent. Bibliothecas lustravit *Druidum*, veteresque excussit codices, qui cum blattis et pulvere dudum decertaverant. Huic ejus studio debemus opera *Roswithae*, quae *Ratisbonae* ex sancti *Emmerani* coenobio in dias luminis auras protraxit *d*). At cum opes id genus litterarias apud *Bavaros* venaretur, amisit suas. Intellexit enim, doluitque majorem in modum, libros *Hebraicos*, *Graecos*, et *Latinos*, quos *Cracoviae* habuit, una cum supellectile reliqua, quam tradiderat aurigae *Sarmatico*, illius perfidia periisse *e*). Inter amicos, quos *Ratisbonae* coluit, merito nominandus est *Janus Tolophus*, quocum conjunctissime ibidem vivebat; ut patet ex oda ejus inscripta nomini *f*). Mansisse eum apud Bavaros ad autumnum usque an. 1490, nobis persuasum habemus *g*). Neque enim assentiri possumus his, quae *Celtis* habet de trigesimo natali suo *Ratisbonae* celebrato *h*); aut quae refert de frigore hiberno, quod ibi sensisset *i*). Malumus ea fictioni poeticae tribuere, ne peregrinationibus, quas certum est, eum peregisse, locus surripiatur, aut tempus necessarium.

a) Ea omnia objicit oculis iconismus, ligno incisus, qui praefixus est Libr. II. *Amor.*

b) Elegia V. Libr. II. pluribus exponit, quo anni tempore delatus sit *Ratisbonam*. Reddimus hinc sequens hexastichon.

Aestifer aethereo rutilat modo *Cancer* olympo,
 Qui spatium lucis majus in orbe facit.
Fervida vulnificis aperit *Leo* rictibus ora,
 Fervet, et ignivomas quassat in axe jubas.
Quam circum rabidos jaculatur *Procyon* aestus,
 Et *Canis* aestivo corpora sole gravat.
Horridus hinc gravidis flavescit campus aristis,
 Falciferamque Deam messor in arva vocat.
Colligit in fasces avidus segmenta colonus,
 Impiger hybernas condit avarus opes.
Ast ego quid faciam *Bavara* jam notus in urbe,
 Quam tumidus gelidis alluit *Hister* aquis?

c) Huc facit Elegia IX. Libr. II. ad *Elsulam a priscis et sanctis Germaniae moribus degenerantem.* Incipit:

Elsula, quid tantis oneras tua brachia baccis,
 Aurea et in digitis vincula multa geris?
Ostrina sub veste tumens vultuque superbo
 Tricarum ingenti pondere pressa caput.
Noctua quale gerit tenebrosae filia noctis
 Nyctimene patris consociata thoro.
Inque peregrinos flectis tua corpora motus,
 Dum strepitant mixtis buxus et aera sonis. *)
Quin etiam insano confundis pectora Baccho,
 Et titubat multo garrula lingua mero.
Tali non quondam vixit Germania more,
 Dum pudor, et sancti cura pudoris erat.

In sequentibus plura recenset Germanorum vitia, quibus id aetatis potissimum erant dediti, iisque opponit Germanorum veterum mores ac instituta, eorundemque laudat bellicam fortitudinem, seras nuptias, conjugiorum sanctitatem, frugalitatem in victu, peregrinarum mercium contemtum, et quae sunt id genus alia.

*) Addimus omissum hoc loco distichon, quo *Celtis* morem illius aetatis vituperat, quem in *Elsulis* nostris etiamnunc jure reprehendimus:

Et totiens mutas lascivo corpore vestes,
 Ante retroque tibi lactea colla patent. R.

d) *Roswithae* opera e mónasterio *S. Emmerami* accepisse *Celtem* ea conditione, ut postquam *Norimbergae* typis exscribenda curaverit, restituat codicem, comperimus ex scheda msc. *Laurentii Aicher* Prioris ad *S. Emmeramum.* Qua de re suo loco redibit sermo.

e) Elegia VII. Libr. III. eam jacturam his potissimum verbis deplorat:

Sarmatia infelix rigidum damnata per axem,
Utraque quam gelido despicit *Ursa* polo.
Ἡνιοχοςque *) suo volitans per sidera curru
Henioche, o nostris quam malefide libris.
Nam cum mandata est quondam tibi nostra supellex,
Quam mihi debebas reddere, perdideras.
Quot scythicas pelles, et crudi vellera Mosci,
Quidquid hyperboreo et Sarmata mure rapit,
Quotque *Palaestinae* secreta volumina linguae,
Heu mihi, *Sarmatico* perdidit ille dolo.
Plena mihi *Latiis* quis reddet scrinia libris,
Et quae de *Grajis* docta Minerva canit?
Democritos, *Zenones*, inexplicitosque *Platones*,
Multaque per *Samium* dogmata scripta virum.
Quid *Ciceronis* opes querar et pia carmina vatum?
Omnia *Sarmatico* perdidit ille dolo.

*) Auriga, qs. ἡνιαν εχων, habenam tenens. R.

f) Testatur *Celtis* Ode XIII. Libr. II., quam *Jano Tolopho* inscripsit, eum sibi fuisse familiarissimum, iisdemque delectatum studiis:

Urbs antiqua tenet qua sua moenia,
Cui *Regus* tribuit jam nova nomina,
Quae te laeta patrono
Gaudet, *Tolophe*, candido.

Hic tecum, memini, carmina lusimus,
Quae tum Nictelius, quae Venus impetu
Suggessere poetae
Grajo ducere spiritu.

Quae tu mox niveo pangere barbito
Sueras, ut Citharae verba refers tuae,
Interpresque vetustas
Solvis candide fabulas!

Joannes Tolophus, gente *Francus*, ortus prope montem *Piniferum*, historicus et poeta, mathematicisque disciplinis in primis deditus, Canonicus *Ratisbonensis* et Praepositus *Forchheimensis*, ut ex ejus epistolis msc. ad *Celtem* edocemur, nihil magis habebat in votis, quam rem litterariam apud Germanos provehere latius. Cupiebat omnes renasci poetas veteres, editos typis. Hinc auguratus est gloriam Germanis et sociis lucrum. Habuerat ipse opus *Prudentianum* (quodnam illud?) maturum prelo, cujus publicandi curam *Celti* demandaverat. Loquitur de Commentariis in *Almagestum* et *Sphaeram* etc. Nescio, an horum quidquam lucem viderit.

g) Autumnali tempore excessisse *Celtem* terris *Noricis*, enarrat ipse carmine hodoeporico, quod primum tenet locum inter elegias Libr. III. Amorum.

h) Elegia X. Libr. II. hortatur *Elsulam*, ut convivium sibi natalitium instruat. Carminis hoc est initium:

Elsula chara, tuas veniam cras laetus in aedes,
Phoebus ubi Lybicas mersus habebit aquas.
Quippe ego in hac numero ter denas nocte calendas
Febrilis mensis, dum mihi vita data est.
Ipse ego tunc veniam charis comitatus amicis,
Et genio solitas sacrificabo dapes.

Celtem hic sibi haud satis constare. merito arbitramur. Illis enim, quae in priscis Germanis collaudaverat elegia praecedente, cultum videlicet simplicem, frugalem victum, potumque coctum ex fruge madida etc. consentientia minime sunt, quae de vinis, e peregrinis regionibus advectis, apparari jubebat:

Hinc Baccho compone scyphos, paterasque capaces,
Plenaque stent vario stannea vasa mero.
Illud cum *Coo* jubeas spumare *Falerno*que,
Et *Tergestino* cantharus iste fluat.
Oppano reliquas repleas, et *Draminino*,
Vel quod *Feldlini* terra beata creat.
Alter *Helveticum*, *Rhenanum* conferat ille,
Hic *Cecium*, vel quod *Francia* nostra creat.

i) Se hyemasse *Ratisbonae* indicat elegia octava, Lib. II., qua affirmat hyberno tempore, saepius rigente gelu se cantasse noctu, et pulsasse cytharam, rigentibus acri gelu digitis, ut officio fungi haud possent; intercepta pariter prae vehementia frigoris voce, dentibus inter se collisis.

CAPUT XVIII.

ITER MOGUNTIACUM. ORIGO SODALITATIS RHENANÆ.

Lustratis Germaniae plagis australibus, *Noricum* agrum, *Danubii* ripas, et celsas alpes, tempore autumnali *a*) reliquit *Celtis* Comite famulo, quemadmodum ipsemet refert, vectus equo, ivit per medios *Sueviae* campos, *Hercyniamque* silvam *b*); conversus ad *Cocherum*, salinas visit, quae *Halae Suevorum* ebulliunt *c*); transitisque *Necari* vitiferis collibus, ut nobis veri est simile, *Heidelbergam* descendit, ut *Jo. Dalburgium*, veteresque amicos, quos ibi habebat, salutaret *d*). Neque nos falli arbitramur, dum statuimus, esse ad idem tempus referendam originem sodalitatis litterariae *Rhenanae*, quae auctore potissimum *Celte*, unde etiam *Celtica* dicta est, sub auspiciis *Joannis Dalburgii* fuit erecta *e*). A vero certe multum abest *Georg. Nic. Wienerus*; dum contendit, sodalitatis illius contubernium fixum fuisse *Heidelbergae* an. 1482 *f*), antequam ad episcopalem sedem *Wormatiensem Jo. Dalburgius* eveheretur *g*). Non minus a recto deviant, qui doctum illud sodalitium institutum esse volunt anno 1484. cum *Celtis Heidelbergae*, velut supra indicavimus, stúdiis litterarum dederat operam, *Rudolpho Agricola* usus praeceptore. Tum enim nec aetas, nec eruditionis fama, neque auctoritas *Celtis* ea fuit, ut tantum sibi sumere, vel audere potuisset. Neque est existimandum, permoveri se illustrissimum *Vangionum* episcopum, aliosque viros doctrina et dignitate eminentes, fuisse passos, ut nomen darent sodalitio, quod congregare adnisus esset e numero *studentium* quispiam, aut e schola recens, vix rude donatus. *h*). Aliter autem est judicandum de *Celte*, postquam vidit *Italiam*, cognovitque *Romae* simile institutum, cujus auctor erat *Pomponius Laetus* *i*). Quibus accedunt specimina publica, quae de se edidit in *Gracoviensi* academia, et *philosophici Doctoris* titulus, ac

dignitas *poetae* a Caesare *laureati*. Ut jam non repetam ea, quae de instituto litterario id genus sodalitio *Budae* apud *Pannones* supra memoravimus *k*). Quicunque ea, quae modo attulimus, pensitaverit animo, haud aegre sibi persuadebit idipsum, quod nos sentimus; figendam videlicet esse originem sodalitatis litterariae *Rhenanae* sive *Celticae* in tempore itineris *Moguntiaci*, quo delapsus est *Heidelbergam* anno videlicet 1490 *l*).

a) Elegia I. Libr. III. *hodoeporica* est, qua describit iter ex agro *Norico ad Rhenum*, ut fere fert carminis inscriptio. Anni tempus, quo terris *Boicis* excessit, poetico more descripturus, ita canit:

Tempus erat, mediam dum Phoebus fecerat umbram,
Et parili steterant noxque diesque mora.
Frigora jam tepido certabant lenta calore,
Exprimit ut Bacchum vinitor ipse suum.
Plejas et aequoreo miscet fera proelia ponto,
Turbida ut Eois nascitur illa plagis.
Ipse ego Danubii ripas tunc forte reliqui,
Et juga, quae celsis alpibus astra petunt.
Mens mihi *Rhenanam* fuerat descendere in urbem,
Cui *Cia* cum *Mogano* nomina clara dabant.

b) Iter ipsum, parerga erotica si demas, continetur paucis, atque hoc tetrasticho absolvitur:

Ibam per medios, servo comitante, *Suevos*,
Quos vario cultu silva *Bacenis* alit.
Qua *Necari Cocerique* vagas conspeximus undas;
Alter alit *Bacchum*, sed coquit ille salem.

c) Dubium non est, *Celtem* posterioribus hisce verbis, quibus mentionem facit *Salinarum*, quas lustravit, designasse divitem venam aquae salsae, quae *Halae Suevorum*, quam Cocherus amnis mediam secat, jugi fonte manat.

d) Etsi vero in *hodoeporico* carmine nomen *Heidelbergae* non occurrat, opinandum tamen non est, e *Suevia*, duce itineris *Nicaro*, ad *Moguntienses* dum contendit, data quasi opera, quaesitoque studio declinasse, aut praeterire voluisse *Heidelbergam*, multis sibi titulis amatam; ad quam vel nolentem atque invitum ipsa via duxisse videbatur, ut *Jo. Dalburgium*, Maecenatem suum, coram venera-

retur, et in amplexus rueret *Jo. Vigilii*, aliorumque, quos amicitia sibi junctos *Heidelbergae* habuerat.

e) Dolendum equidem est, tam parcum vel brevem, aut verius, adeo mutum ubivis apparere *Celtem*, ut originem sodalitatis litterariae *Rhenanae* ne verbo meminerit; unde illius ansa, origo, aut tempus initi sodalitii colligi posset. Neque in amicorum epistolis Msc., neque apud auctorem coaevum quemquam alium, quantum quidem sciam, aliquid reperias, quod huic rei nonnihil lucis affunderet. Nixi itaque rationibus, aut conjecturis, quas supra in medium attulimus, haud temere statuimus. institutae per *Celtem sodalitatis litter. Rhen.* initia ab illo Moguntiaco itinere repetenda esse. Tempus sane, locusque vix videtur quisquam esse opportunior alius; quam cum hoc in itinere *Heidelbergam* delatus, veteres complexus est amicos, eosdemque nexu arctiore secum conjunxit, instituta sub auspiciis *Joannis Dalburgii* litteraria sodalitate *Rhenana*.

f) *Georgius Nicolaus Wienerus*, scholae *Wormatiensis* rector, post metropolitanus et ephorus in *Grosen-Gerau*, prope *Darmstadium*, pag. 14. *Analectorum hist. crit. de sodalitase litter. Rhenana seculo XV. Wormatiae* 1766. 4., perperam contendit, sodalitium illud litterarium, duce *Celte*, coaluisse *Heidelbergae* anno 1482. Quo quidem tempore hanc urbem a *Celte* nondum visam fuisse, manifestum est.

g) Aeque est perspicuum, hallucinari *Wienerum*, dum l. c. indicat, *Jo. Dalburgium* an. 1482 necdum fuisse *Wormatiensis* ecclesiae episcopum. Qui volunt ad id dignitatis eum fuisse evectum an. 1483 aut deinceps, erroris convincuntur a *G. W. Zapfio* pag. 71. vitae *Dalburgicae* (A. V. 1796.) monumentis certioribus, ad quae provocat, rem ponentibus extra dubitationem.

h) Quod loco cit. pag. 138. affirmat *G. W. Zapfius*, ante annum 1487, quo *Celtis* est a Caesare Apollinari laurea decoratus, initium fuisse datum sodalitati litterariae *Rhenanae;* idoneis probationibus destituitur, pugnantque adversus idem assertum ea, quae in fine hujus capitis adduximus.

i) De *Pomponio Laeto*, et instituto per eum sodalitio, nuperrime nonnulla in medium allata a nobis sunt cap. X. not. *l*.

k) De quibus quidem primo hoc libro suis locis, quantum patitur instituti nostri ratio, fecimus mentionem.

l) Egerunt de sodalitate *Rhenana*, quae etiam *Celtica* dicitur, *Tenzelius* in collegiis menstruis an. 1693 mense Decembri pag. 974, *Gottofr. Volkerodt* p. 121. Introd. in notit. societat. litter. P. II. cap. 3., *Christoph. Haymann.* pag. 380. T. I. *Kurzgefasste Gesch. der vornehmsten Gesellsch. der Gelehrten*, *Justus Christ. Thorschmid* diss. singul. in anal. charit. et scientiarum pag. 475. T. I., *Jo. Georg. Lotter* orat. de prima sodal. litter. *Rupprecht* de sodal. Rhenana; ut mittam *Burckardum*, aliosque, apud quos de origine sodalitatis *Celticae* nihil certi, parumque frugiferi, quod ad rem sit, reperies. Quae nostra sínt sensa de illis sodalitiis, declarabimus Lib. II. cap. XII., ubi sermo erit de *Celtis* opusculo: *Sodalitas septenaria etc.*

CAPUT XIX.

COMMORATIO MOGUNTINENSIS.

Moguntia tertia urbs est ex tetragonis *Germaniae*, et latus ejusdem *occidentale*, ad *Rhenum* sita, adumbrata a *Celte* nomine *juventutis*, *autumni*, et *Ursulae Rhenanae*, sive *Gallae*, cui est inscriptus liber tertius amorum. *a*) Quibus litterarum studiis tempus illud, quod *Moguntiae* acturus erat, exigere vellet, exposuit in fine carminis hodoeporici, cujus mentionem fecimus praecedente cap. Erat in animo, describere *Germaniae* populos, ac urbes, quas viderat, *Rheni* et *Danubii* enarrare fontes; *Lanam*, *Roram*, *Lippiam Saram*, *Sellam* et *Mosam* fluvios oratione complecti; referre in litteras proelia *Caroli*, atque victorias regis *Maximiliani*, quas in *Galliis* reportaverat; res denique in *Pannonia* et apud *Italos* gestas, versibus celebrare destinaverat. *b*). At pia haec desideria, *Celtis* mente alio distracta, in irritum reciderunt, ut evenire videmus illis, qui haud consulte plura sibi peragenda sumunt πολυπραγμονες. Elaborasse eum, dum erat *Moguntiae*,

poemata quaedam, facile largimur. Huc revocare licet carmen elegiacum, quo *Rheni* ortum, progressionem, trifidumque exitum in mare exponit. *c*) Id quidem, quod *Moguntinae* civitati summo est ornamento, non semel praedicat, artis videlicet typographicae divinum inventum, Romanis aeque ac Graecis merito suspiciendum; quippe qui nihil habeant, quod cum eo posset conferri *d*). Neque praeterit sepulchrum *Drusi*, venerandum Romanae antiquitatis monumentum, quod *Moguntiae* conspicitur *e*). Testatur, esse plures alias e priscis temporibus in agro *Moguntino* superstites reliquias, quas ibi spectaverit *f*). Inter amicos, quibus usus est *Moguntiae*, non ultimus erat *Theodorus Gresmundus*, quem *hospitem* suum appellat, ut praefert titulus Odae, quam ejus inscripsit nomini. *g*) Illa tandem elegia, qua jubet *Ursulam* apparare convivium ad celebrandum trigesimum sextum natalem suum, vitio chronologiae haud carere arbitramur. Certum namque est, *Moguntiae* dum morabatur, eum needum implevisse aetatis annum trigesimum sextum, qui incidit in annum 1495 *h*). Isto enim anno, ut ex dicendis elucebit, *Ingolstadii* erat, fungens munere professorio.

a) Conferatur eam in rem icon, quam praefert liber amorum tertius, ad cujus inferiorem limbum legitur: *Extensio Germaniae a Rheno in Galliam usque ad novam Metam et Treverim.* Atque hi fuerant Germaniae limites occidentem versus, eo tempore, quo scripsit *Celtis.*

b) Pensum, quod ipse sibi imposuerat, absolvendum eo temporis intervallo, quo commoraturus erat *Moguntiae*, hisce versibus delineat Libr. III. Elegia I. ad finem:

Et peto Rhenanam collectis viribus urbem;
    Lenior hac noster factus in urbe dolor.
Dum statui populos Germanos scribere et urbes,
    Quaeque vagas stellas regula contineat.
Quot fontes *Rheni*, quot et ora binominis *Istri*,
    Qua *Lona*, *Rura*, suis *Lippia* quaque vadis,
Qua *Sara* Trevericos laetus despumat in agros,
    Sellaque cum *Mosa* nomina junctus habet.
Qua sua funesto conclusit proelia fato
    Carolus, Europae qui timor unus erat.
Maximus Aemilius, quot Gallos straverit hostes,
    Pannoniamque suo frenat utramque jugo.

Italiamque trahet Germanis viribus olim,
Dum repatat Latium candidus imperium.
Hanc mihi materiam statuissem carminis esse,
Ni mea jam rursus corda subisset amor.

c) Est Elegia decima tertia libri tertii, eademque satis prolixa; incipit:

Rhene, *Moguntiacam* rapidus qui tendis ad urbem,
Qua te *Rhene* suis *Ceja* salutat aquis;
Quaque tibi *Moenus* miscetur nomine claro,
Flumina quadrifluo qui sua monte trahit.

d) In eadem Elegia *Rhenum* flumen, et inventorem artis typographicae, hunc in modum alloquitur:

Jamque Moguntiacam vastus te flectis in urbem,
Quae prima impressas tradidit aere notas.
Qualem ego te memorem, talem qui invenerit artem,
Italicis, Grajis plus memorande viris?

Elegia prima libri tertii his praedicaverat affinia:

Mens mihi Rhenanam fuerat descendere in urbem,
Cui *Cia* cum *Mogano* nomina clara dabant.
Quae docuit spretis Germanos scribere pennis,
Cernitur ut pulchris littera pressa notis.

Eadem ferme tradidit Cap. II. de *Norimberga*: Urbs inquit, Moguntina prima sculpsit solidos aere characteres, *et versis docuit scribere litteris.* Desumptus est postremus hic versiculus ex Ode IX, Lib. III., qua commendat hujus artis inventorem, Germanum, civem Moguntiacum. *)

*) Digna omnino, quae tota describatnr:

Quid tantis strepitat Graecia laudibus,
Invenisse suis ingeniis canens,
Qua natura potens lege coerceat
Coeli fulgida sidera?

Non est inferior, credite, Daedalo,
Aut qui Cecropias protulerat notas,
Ex Moguntiacis civibus editus
Nostri gloria nominis.

Qui sculpsit solidos aere novus notas,
Et versis docuit scribere litteris,
Quo nasci utilius non potuit magis
Cunctis, credite, seculis.

Jam tandem Italici non poterunt viri
Germanos stolida carpere inertia,
Cum nostris videant crescere ab artibus
Romanis secula litteris.

Quae tandem *Aemilio* gratia *Maximo*
Solvenda est, genitus qui patre Caesare,
Sub quorum imperio crevit et extitit
Nostris ingenium viris!

e) De monumentis antiquis, quibus abundat *Moguntia*, de *Drusi* sepulchro disserens, haec habet:

Seu veterum inquiro dum monumenta ducum,
Plura Moguntiacae quae stant in moenibus urbis,
Sollicitas oculos unica cura meos.
Inter quae *Drusi* stant ardua busta *Neronis*,
Clara a Germanis nomina primus habens.

Effigies monumenti *Drusiani*, quod *Moguntinenses* vocitant: *Der Eichelthurn*; quoniam formam glandis superne refert, exhibetur a *Celte* in imagine ligno incisa, quae praefixa est libro tertio Elegiarum, adjecta inscriptione: *Sepulchrum Drusi*. Idem monumentum distinctius, accuratiusque refert *Petrus Apianus* pag. 474. *Inscriptionum sacrae vetustatis*, una cum honorifico *Celtis* elogio.

f) *Josephus Fuchs*, Benedictinus, *Selgenstadianus*, antiquitatum Romanarum diligentissimus indagator, aevo recentiore, quae Moguntino in agro sepulta erant vetusta id genus monumenta, luci exposuit inde ab anno 1772.

g) *Theodorico Gresmundo de Meschede*, qui filium habuit sibi cognominem, humanioribus litteris apprime excultum, inde a prima adolescentia, nuncupavit *Celtis* Libr. III. Od. XXVII., cujus est exordium: *Cum virtus rapuit etc.* Ex isto carmine edocemur, fuisse eum natione *Hassum*, ortum ex antiquo genere et nobili, qui ductus amore terrae laetioris reliquerit patriam, suamque sedem fixerit *Moguntiae*. *Doctum* eum appellat, et *hospitem* suum, quocum familiariter et jucunde in illa civitate vixerit. In republica litteraria *Gresmundus junior* patre notior est. Post *Jo. Trithemium* de eo agunt *Burckhardus* pag. 391. seqq. P. II. de fatis L. L., *Freytag* pag. 453. T. I. Apparatus litter., aliique.

h) Versiculi, in quibus vitium chronologiae subolemus, Lib. III. Eleg. XII. ita sonant:

Quippe duodecimam mihi cras τριετέριδεν implet
Phoebus, ab Eoa Thetyos ortus aqua.
Phoebe, bis undenas Ganymedis sidere partes
Servabas, vitam ut das mihi in orbe meam.
Pythia cras Phoebo Trieterica festa Lyaeo
Instituam numeris candida dona meis.

Diem natalem, quem egerat *Moguntiae*, etsi non tam diserte, sine veri tamen dispendio exprimit Libr. III. Ode II., qua indicat, se agere septimum lustrum:

Februis natus quid agam Calendis,
Quae mihi primam tribuere lucem,
Septimi lustri mea dum revolvunt
Fila sorores.

Sapphicum hoc carmen, *quo invitavit amicos ad diem suum natalem* celebrandum, referri oportere ad tempus illud, quod agebat *Moguntiae*, perspicuum est legenti. Mentionem enim injicit de *Ursa*, sive *Ursula Galla*, quam in illa civitate habebat amicam. Verba facit de *Rheno* et *Obnobiis* montibus; quemadmodum vetus habet lectio, quae occurrit in codice manuscripto *Norimbergensi*.

CAPUT XX.

ITER BALTICUM SIVE CODANEUM.

Exacta apud *Moguntinenses* hieme, non *ingruente*, ut fingit elegia hodoeporica, quae huc refertur, *a)* rursus viae se dedit *Celtis* ad *Codanum* maris *Baltici* sinum profecturus. *b)* Quam quidem peregrinationem plenius describens, asserit, relicta *Moguntia*, *Rhenique* tractu, superatis *Obnobiis Hassiae* montibus, contendisse in *Frisiam*, ubi *Groeninga* eminet, patria *Rudolphi Agricolae*, sui quondam apud *Heidelbergenses* magistri. *c)* Recenset flumina, quae Hassiam, Frisiamque irrigant. Haec inter nominatiores sunt *Viadrus*, *Amasus*, et *Fulda*, nobili *Druidarum* coenobio homonymus; et his nobilior *Visurgis*, exceptis multis fluminibus demum ita appellatus. *d)* Enumerat urbes, quas vidit praecipuas, *Brunsvigam*, Pentapolim dictam, *Gotham*, *Goslariam*, metalli fodinis divitem, *Embeccam* a salubribus Cereris poculis celebrem. *e)* Hinc in planitiem desinentibus jugis montium, venisse *Bremam*, *Hamburgum*, *Magdeburgum*, *Luneburgum*, *f)* demum attigisse *Lubecam*, urbem sinus *Codani*, sive *Chersonesi Cimbricae* celeberrimam, ubi *Albis* in mare Balticum suas undas evolvit. g) Ex his apparet, non viam rectam, aut brevissimam ivisse *Celtem*, cum *Moguntia Lubecam* peteret; sed per multos viarum circuitus illuc pervenisse. Quod quidem a scopo, quem sibi praefixum habuerat, minime erat alienum. Multorum enim mores noscere cupiebat, et videre urbes.

a) Affirmat equidem Elegia II. Lib. IV., ingruente hieme, hoc iter se esse aggressum, idque luculenter declarant versiculi priores, unde carmini datum est initium:

Tempus erat, niveas dum coelum spargere plumas
Incipit, et nubes conglomerare vagas.
Phoebus ad hybernum dum flectit lumina caprum:
Qui noctis spatium majus in orbe facit.
Tunc ego, qui fueram peregrinus in orbe decennis,
Cogor ad Arctoum pergere forte sinum.

At non videntur haec ex vero esse pronunciata; sed conficta per licentiam poeticam. Verisimile enim non est, tempore tam incommodo, vergenteque ad finem anno, quin ulla urgeret proficiscendi necessitas, iter tam longum ac difficile in Boreales Germaniae plagas voluisse suscipere. Finxit itaque poeta tempus aliud, quamquam profectioni haud satis idoneum, ut ansam haberet, in quarto elegiarum libro disserendi de hieme; postquam in tribus prioribus ver, aestatem, et autumnum carminibus hodoeporicis descripserat. Limes itineris erat *Lubeca*, quae quarta est urbium Germaniae tetragonalium, et latus ejusdem septentrionale, quod adumbravit nomine hiemis, senectutis, noctis, et *Barbarae Codaneae*, cui quartum amorum librum nuncupavit; velut edocet imago huic libro praefixa. Certe sui quasi oblitus, in toto hoc poemate nullam amplius injicit mentionem de nive, pruina, frigore, aut fluminibus gelu aut glacie constrictis.

Confirmat id, quod sentimus, querela *Ursulae Rhenanae*, quae in die natali *Celtis* convivalia gaudia interrupit, eo quod audisset, *Celtem* die proxima, id est secunda Februarii esse discessurum *Francofordiam*, navali itinere, atque hinc petiturum terras Arcticas:

Haec ego dum laeta cecinissem carmina mente:
Reddiderat querulos *Ursula* moesta sonos.
Prô facinus, dixit: referunt quid, *Celtis*, in urbe?
Audio, te Rhenum linquere velle vagum.
Perfidus Arctoas contendens visere terras,
Cras ubi Francorum moenia nauta petet.

Erat itaque jam Calendis Februarii *Celtis* abituriens; aut certe ferebatur rumor de propinquo illius abitu; ut peregrinatio non videatur incidisse in tempus ingruentis hiemis. Neque conciliari illud posset cum ejus itineribus reliquis, quemadmodum ex dicendis patebit consideranti.

Scribit equidem Lib. IV. Elegia postrema, quae ad commorationem ejus *Moguntinensem* refertur, se *Moguntiae* exegisse unum alterumve annum:

Unus et alter abit, mihi nunc dulcissimus annus.

Quae quidem verba non de completis duobus annis, sed solum inchoatis velim intelligas. Haerebat enim *Moguntiae*, si recte supputamus, inde a fine autumni an. 1490 usque ad initium anni proxime succedentis.

b) Littus Baltici maris tenent veterum *Cimbrorum*, *Dacorum*, et *Gothorum* reliquiae. Hinc *Gedanum*, quod nunc vocant *Dantiscum*, a *Gethis* dictum seu *Gothis* est, et *Codanus* sinus, quasi *Gothinus* a *Gothis*, interprete *Celte:*

Sed quondam *Gedanum*, Gothorum a nomine dictum:
Hincque sinus *Codanus* nomina clarus habet.

In Germania generali his fere habet similia:

Sed mare *Codaneum*, Germano et nomine dictus
Oceanus, fines posuit natura sub Arcton.

Et postea:

Tandem et Cymbriacum vagus exoneratur in aequor,
A Cimbris quod nomen habet, quos proxima Dacis
Chersonesus habet rigidum porrecta sub axem.

c) En itineris initium ex Elegia II. Lib. IV.

Et jam de Rheno per celsa cacumina pergens,
Quae *Frisius*, *Cattus*, *Busatorae*que tenent;
Qua *Gronigum* magna notum est super aethera fama,
Rudolphi Agricolae patria terra mei.

Posterius hoc distichum in codice Msc. *Norimbergensi* deest. Lucem primam vidit *R. Agricola* anno 1442. non Groeningae; sed haud procul ab illa civitate, ruri natus, in pago, qui *Baflon* dicitur. Paterno, germanicoque nomini *Husmann*, vel *Hausmann* nomen *Agricolae* subrogavit, morem imitatus aetate illa litterarum cultoribus familiarem.

d) Indignatur *Joachimus Vadianus* in suis ad *Melam* commentariis, ubi agit de Germaniae fluviis, quod tam distorte et barbare Latini nostris nominibus propriis sive hominum, regionum, urbium, sive silvarum, montium, fluviorum gratiam suae linguae induerint; vocarintque *Ems* fluvium *Amisum*, *Amisiam*, *Amasium*, in qua vicinia *Tacitus* tradit, tres *Vari* legiones a Germanis esse fusas. Longius discessere a recta permutandorum nominum ratione, cum *Weser* fluvium appellarunt *Visurgem*, aut *Visurgum*. Nunquam enim, ut recte observat *Vadianus*, com-

mittendum est, ut a nativo, etsi barbaro eloquio, tam longe vocabula distent, ut agnosci nequeant, translata in usum alius idiomatis.

e) In elegia proxime citata de urbibus, quas eodem itinere lustravit, sermonem injiciens, ita pergit:

Inde per Herciniam nemoroso robore silvam
Venimus ad terram, quam modo *Saxo* tenet.
Pentapolim hinc noto, *Brunsvigam*, nomine dictam,
Et quae de *Gothis* urbs generosa manet.
Quaque scatet multis *Goslaria* clara metallis,
Embecca et Cereris pocula sana coquit.

f) De *Brema* civitate et *Magdeburgo* addit, esse utramque unam *de septem sedibus*, nimirum archiepiscopalibus; quas singulas nominatim Ode XIV. Lib. Epod. complexus est.

Metropolitanas ferox Alemannia
Urbes habet septem, ut domus Romulea
In collibus septena templa condidit.
Treveris vetusta, et ditior *Colonia*,
Et *Salzeburgum*, *Madeburg*, *Moguntia*,
Et littorales Arcticum prope circulum
Bremensis et *Rigensis*, urbs Sauromatum.

g) Finem peregrinationis, *Lubecum*, his indicat versiculis:

Inde ad Cimbriacam contendo Chersonesum:
Et *Lubecum Codani* fama, decusque sinus.
Angulus haec *Laudis* dicta est urbs nomine prisco:
Nulla quod ad *Codanum* sit mage clara sinum.

Integram hanc elegiam refert etiam *Reusnerus* in suis *Hodoeporicis* pag. 566. seqq. omissis tamen tribus posterioribus distichis, quoniam duas *Celtis* peregrinationes ad sinum Codanum, de quarum altera alibi nobis futurus est sermo, et duas de iis elegias hodoeporicas in unam conflavit. Interea adnotamus, alteram illam ad mare Balticum *Celtis* peregrinationem decem demum post annis fuisse peractam. Cujus quidem itineris meminit *Conradus Reitterus*, *Caesariensis* monachus in suo *mortilogio* A. V. 1508. 4., vocans *Celtem Caesaris legatum.* In eodem ad *Celtem* carmine indicat, peregrinationem illam imperatoriis sumtibus susceptam fuisse. Dolet, quod, cum ad *Caesariense* coenobium divertisset, praeter spem tam celeriter abierit.

CAPUT XXI.

COMMORATIO LUBECENSIS.

Lubecum itaque, ut praecedente capite monuimus, quarta est ex civitatibus tetragonis Germaniae, ejusdemque limes *septentrionalis*, quem *Celtis* adiit *a*). Commoratio illius hac in civitate diuturna non fuit. Sive enim nummulorum pressus inopia, *b*) sive amicorum destitutus ope, *c*) iter, aut peregrinationem corripuit, cogitavitque de reditu in interiora Germaniae. At neque illis obluctari velim, qui opinantur, *Celtem*, postquam *Lubecum* attigit, peregrinationis terminum, afflicta valetudine, *d*) peregrinando saturum, portum respexisse, aut nidulum, in quo tranquillius agere vitam reliquam posset *e*). Quidquid autem de his sit, illud asseveranter, ac vere pronuntiare licet, cujus quidem rei in promtu nobis sunt monumenta minime dubia, ne autumnum quidem anni 1491., nedum hiemem ejusdem anni *Lubeci*, aut ad sinum *Codanum* eum exegisse. Erat enim anno 1491. aestivis mensibus *Pragae f*), mense Augusto *Norimbergae g*), mense Septembri *Ratisbonae h*), et inclinante ad finem eodem anno *Jngolstadii i*). Quaecunque igitur libro quarto elegiarum hic ibi occurrunt de hieme, *Lubeci* acta, de frigore, nive, marique congelato, vel ad fictionem poeticam referimus, quippe qui *Lubecum* adumbraverit imagine hiemis, senectutis et mortis; vel ad peregrinationem ejus alteram ad mare *Balticum*, de qua nuperrime fecimus mentionem, studiosius rem expondituri, ubi temporis ratio id postulaverit. Quae de iterata *Celtis* profectione ad Chersonesum Cimbricam suo loco proferemus, confirmant id, quod contendimus, *Celtis* videlicet moram apud *Lubecenses* perbrevem fuisse, neque eam, quae satis esset accuratius pernoscendae regioni: alioquin necesse non habuisset, repetita profectione illuc contendere *k*).

a) *Lubeci* situm, una cum diversis ejusdem nuncupationihus symbolicis, exhibet effigies, quae conspicitur initio libri quarti elegiarum. *)

*) De iconibus, in fronte cujusvis libri amorum apparentibus rursum fiet mentio Lib. II. cap. 16. ubi fortasse non nulla subjungemus. R.

Quatuor, quos *Celtis* Germaniae limites visit, de quibus sermo nobis erat hactenus, complexus est elegia tertia libri primi, hoc tetrasticho:

Turgidus *Eois* quam claudit *Vistula* ab oris:
Sed latus *Austrinum* maximus *Ister* habet.
Rhenus ab *Occiduis* limes sed dicitur oris:
Et *Boreae* partem gens *Codanea* tenet.

b) Huc revocari queunt verba *Celtis*, quibus indicat in epistola nuncupatoria, ad *Fridericum Sapientem*, praefixa *Roswithae* operibus, *peculii* sui *jacturam*, quam sit passus longis peregrinationibus, dum perlustravit Germaniae nostrae fines.

c) Siquem *Lubeci Celtis* habuisset amicum aut hospitem in se beneficum: haud dubie dedisset operam, ut, quod sibi familiare habuit, illius nomen posterorum commendaret memoriae, scripto, relictoque in ejus laudes honorifico quodam carmine; ut *Tolophos*, *Clamosos*, *Vigilios*, *Trithemios*, *Gresemundos*, aliosve plurimos transcripsit aeternitati. At nihil istiusmodi occurrit in illius poematis de Maecenate quodam *Lubecensi*.

d) Elegia quinta Libro IV. amorum, quae inscripta est *Barbarae*, aegritudinem, qua *Lubeci* erat correptus, commemorat; et queritur, amicorum ope se destitutum.

Dura lues nostros ubi nuper presserat artus,
Cogens me tepido saeva jacere thoro.
Cumque mihi nullus, rarus vel adesset amicus,
Qui gereret verae pignus amicitiae:
Sola mihi praesens nostrum solata dolorem,
Larga mihi medicas saepe ferendo dapes,
Juscula nunc miscens, ferventi et jure polentas,
Radices, succos, poma et odora dabas.

e) Optasse sibi *Celtem* post tot, tamque difficiles peregrinationes, nidulum, ubi quiescere posset, et vires fractas reparare, palam est ex stropha postrema Od. I. Lib. III. ad *Joannem Dalburgium*, quem hunc in modum precatur:

Rerum mearum praesidium manes,
Qui nostra solus carmina promoves,
Dabisque ventos, ut quietum
Accipiant mea vela portum.

Similia his desideria vitae tranquillioris prodidit in epistola nuncupatoria, *Apuleio*, quem edidit, praevia, quam dabimus integram in appendice.

f) Scribebat sane anno 1491. die septima Septembris *Jacobus Argirius*, artium liberalium magister *Pragae*, *Celti*que per litteras significabat, anxium se magnopere fuisse, et sollicitum de illius incolumitate, quod nuper *Praga* discesserit inter continuas decidentes pluvias.

g) Pari fere ratione conqueritur *Norimbergae* eodem anno 1491. die decima Septembris *Petrus Dannhauser*, *Abietiscola* etiam dictus, aut *Dannhusius*, de celeri *Celtis*, et inopinata illius abitione e civitate *Norica;* ea quidem ipsa die, qua primus *Norimbergensis* reipublicae consul, *Nicolaus Grofs* vita excessit, nimirum prima Septembris die dicti anni.

h) Sixtus Tucher, jurisconsultus *Jngolstadiensis* eodem anno 1491. *die dominica ante festum* nativitatis in epistola ad *Celtem* inter alia haec habet: *Tuam absentiam aequius fero, quod in eo loco aliquot menses pedem figere statueris, ad quem facilem aditum et tabellariorum copiam ipsa loci vicinitas praebeat.* Locum hunc *Jngolstadio* vicinum, in quo interea *Celtis* consederat post Balticum iter, non fuisse alium, quam *Ratisbonam*, nobis prope certum est. In ea enim civitate amicos habuit, et sodales, patronumque beneficentissimum *Janum Tolophum. Jngolstadii* mox ineunte anno 1492. publici professoris munus in illa academia adiisse, paulo post referemus.

i) Joannes Kauffmann, legum doctor apud *Jngolstadienses* anno 1492. die 6. Ianuarii e suis aedibus litteras dabat ad *Celtem Jngolstadii* tunc degentem; a quo pridie acceperat orationem illius inauguralem, ut suum de ea judicium ferret. Unde perspicuum esse reor, recte affirmari, vergente ad finem anno 1491. fuisse *Celtem Jngolstadii.*

k) Oden tertiam libri quarti odarum, qua describit *Celtis* navigationem suam in sinu *Codano*, referri oportere ad primam ejus profectionem ad mare *Balticum*, negari non potest. Odae istius initium hoc est:

Musae Pierides quo ferimur freto?
An mersos iterum poscimus inferos,
Umbrarumque ducis regna silentia?
Fines orbis an alteros?

Hoc enim ipsum carmen mense Martio anni 1492. lucem jam aspexerat; affixumque legitur *Epitomae Celtis* in *utramque Ciceronis Rhetoricam*, quae eodem anno prodiit.

CAPUT XXII.

REDITUS E SINU CODANO IN GERMANIAM INTERIOREM.

COMMORATIO PRAGENSIS.

Non reliquit nobis *Celtis* de hac e sinu *Codano* migratione carmen quoddam hodoeporicum; quemadmodum habemus de peregrinationibus iis, quas ante confecerat *a*). Quidquid enim de illius e *Chersoneso Cymbrica* in Germaniam interiorem reditu compertum nobis est, unice debemus in acceptis *Celtis* amicis, et sodalibus ejus litterariis, qui suis ad ipsum epistolis nonnulla prodidere, quibus edocemur, qua potissimum via hoc iter fecerit. *Celticos* itaque sodales si audimus, profectum esse eum comperimus per *Bohemiam*; constitisse *Pragae b*); *Norimbergam* perrexisse; *c*) hinc petiisse *Ratisbonam d*); ac tandem *Ingolstadium e*). *Pragae* cum moraretur, carmina composuit, dispersitque, quibus et sibi, et iis, quos sibi conjunctos ibi habuit, conflavit invidiam. Poemata scripsit in *Augustinum Lucianum Sanctuariensem* primum episcopum, qui anno 1483. suopte consilio, non vocatus, ex *Italia* venit in *Bohemiam* lucri causa, quod sperabat se percepturum, si *Calixtinis*, uti vocabantur, sacram coenam sub *utraque* distribueret, ministrosque ecclesiasticos, qui id ipsum facerent, manuum impositione ordinaret. Neque spes

novum advenam fefellit. Est enim ab *Universitate*, *Clero*, et populo *Pragensi* non honorifice tantum exceptus, verum etiam temporalibus commodis abundanter donatus, ac tanquam *Pragensis* episcopus Partis *sub utraque*, quemadmodum loquebantur, ad obitum usque agnitus *f*). Non episcopus solum illis satyris peti se, indignabatur, quod objectam sibi intelligeret originem judaicam, ignorantiam, et avaritiam *g*); sed et populus erat in fermento, quod verteret *Celtis* carmina in religionis contemtum, ac derisum suae ecclesiae *h*). Nec deerant, qui querebantur in versiculis iisdem contineri alia, quibus notarentur, ludibrioque exponerentur mores patrii, urbisque *Pragensis*, ac nationis *Bohemicae* instituta *i*). Unde cum apud *Bohemos* non satis tutum se cerneret: celeri fuga, eodemque Jove pluvio caput periculo subduxit *k*); relictis tempestati, quae impendebat, amicis, qui in consiliorum, aut noxae societatem venisse reputabantur *l*).

a) Huc spectant ea, quae retulimus capp. praecedentibus, de reditu *Celtis* ex *Italia* de itinere ejus *Sarmatico*, *Norico*, *Moguntino*, et ad sinum *Codanum*.

b) Vide quae cap. praecedente not. *f*) ex *Jacobi Argirii* epistola adduximus. Ex *Joannis* autem *Pisnensis* epistola, Pragae ad *Celtem* exarata an. 1491. die 1. Nov. constat, *Celtem* se apud ipsum excusasse, quod insalutato hospite illinc abierit. Quodsi 1. Septembris *Celtis Norimberga* demigravit, ut elucebit ex dicendis, palam est, fuisse eum mensibus aestivis *Pragae*.

c) Conferatur eam in rem epistola *Petri Danusii* cap. praeced. not. *g*)

d) Vergente ad finem anno 1491. *Celtem* moratum fuisse Ratisponae, discimus ex epistola *Sixti Tucheri*, juresconsulti *Ingolstadiani* ibid.

e) Quae res *Ingolstadii* a *Celte* gestas attinent, paulo infra referemus.

f) De *Augustino Luciano* conferri merentur *Ephemerides rerum Boemicarum, authore Procopio Lupacio. Pragae* 1584. 8., et *Zacharias Theobaldus* Tom. III. *Hussiten-Krieg* ad an. 1482. usque 1493., quo, ut scribit *Lupacius* ad diem 7 Martii, *ex hac vita migravit, honorifico funere elatus, magnaque hominum frequentia sepultus in Mariano (ante Laetam curiam appellant) majoris urbis Pragensis; monumento sepulchrali sumptibus publicis in ejus memoriam erecto.*

18

g) Genus Judaicum, latinique sermonis ignorationem *Augustino Luciano* objiciebat elegia IV. Lib. II.

Hic praesul fuerat Judaeo sanguine cretus,
Qui mihi non poterat verba latina dare;
O dignam dixi tam docto praesule gentem,
Qui mihi non potuit verba latina loqui.
Sed quia non lingua celebrantur sacra latina,
Quilibet hic praesul rusticus esse potest.

Hos versiculos referri ad aliud *Celtis* iter, quo antea *Pragam* diverterat, inde colligitur, quod affirmet, episcopum latine loquenti respondere non valuisse. In hac enim peregrinatione, de qua hic agitur, dum calumniosis carminibus episcopum lacessivit, eum *Praga* absentem fuisse ex sodalium epistolis percipitur.

Verius huc pertinent *Celtis* nonnulla epigrammata, quae occurrunt Lib. I.

LXXIII.

De Bemorum praesule.

Vincentinus erat *Hebraeo* sanguine cretus
Qui coluit Latia relligione deos.
Illyricos adiit populos diademate sumpto,
Ut faceret sacros in sua lucra viros.
Sed postquam tenuem non sensit crescere bursam,
Jam neque *Romanus*, nec *recutitus* erat.
Et venit ad *Bemos* auri invitatus amore,
Et vendit *Latios* in sua lucra deos.

In idem fere recidunt epigrammata, quae succedunt.

LXXV.

De Vincentino.

Nullus erat cunctis Europae in finibus exul,
Auderet Latium qui violare caput.
Sed venit Italicus nummi correptus amore;
Explet et antiqua pectus avaritia.
O sacer, et magno nummus servandus amore,
Quem plus, quam superos, Italus ille colit.

LXXVI.

De eodem.

Non potuit Latium sermonem dicere praesul:
Sed potuit Latio vendere more deos.

LXXVIII.

De Augustino Vincentino.

Nullus erat *Bemis* per villica jura sacerdos;
Et quasi constiterant error et omne nefas,
Auxisti sacris, pater *Augustine*, *Boemos*;
Ex illoque levis aucta crumena tua est.
Ergo ex hoc merito pater *Augustine* vocaris,
Qui rudis erroris inclytus auctor eras.

h) Populus, qui vexari contumeliis religionem, suaeque ecclesiae instituta derideri querebatur, iniquo potissimum ferebat animo ea *Celtis* carmina, quae luserat in participationem sacrae coenae *sub utraque*, atque in usum administrandi sacram coenam parvulis. Huc pertinere videtur ex Lib. I. Epigrammatum.

LXIV.

De calice Bemorum.

Tot pingit calices *Bemorum* terra per urbes,
Ut credas *Bacchi* nomina sola coli.

LXIX.

De eodem.

Qualia apud veteres fuerant tua numina *Bacche*,
Testis adhuc nostro tempore *Bemus* adest.
Qui solus Latias ausus contemnere leges,
Ut de sacrato, *Bacche*, liquore bibat.

Elegia IV. Lib. II. communionem sacrae coenae parvulis administratae dentatis excipiens versiculis canebat:

Hospitii qui jura mihi hac servavit in urbe
Pragensi: tenera prole beatus erat.
Nondum bis quinos lunae compleverat annos,
Absumpsit decimum sed tamen illa deum.
O fortem dixi gentem! quam nemo domabit,
Dum vorat a prima luce beata deos.

Praetermittendum hoc loco non est id, quod in eandem rem habet *Augustinus Moravus* in epistola ad *Celtem*, qua eum reprehendit, quod *Bohemos* appellaret *Boemannos*, qui jure potiore dicendi essent *Boemandi*, id est Theophagi. „Si hominum, inquit, istorum, qui Bohemiam incolunt, ritum et religionem recte perpendere velimus; *Boemandi* potius (quod eorum lingua deum mandentes sonat) „quam *Boemanni* jure essent appellandi. Haec enim summa totius religionis ipsorum est, ut et infantes, et adulti, senes ac decrepiti promiscui sexus ad sacratissimi corporis et sanguinis Christi edulium quotidie ac passim ferantur; nulla peccatorum venia per confessionem christiano more petita; sed veluti asini et sues ad „pastum; ita hi ad tanti mysterii cibum solo sensus impetu ducuntur." Habetur haec epistola in *Rhapsodia Celtis*, vulgata typis.

t) Quae in gentis contemtionem vertebantur, sunt ejusdem libri primi epigrammata potissimum duo:

LXXI.

De piso Bemorum.

Pythagoras pisum, vetuitque fabam foliosam
Discipulis, pinguem nec violare suem;
Inflammentur humore malo quia corpora nostra,
Atque aciem mentis perderet iste cibus.
Bemorum sed terra colit nisi nobile pisum
Cum lardo: o tardi noscere *Pythagoram*.

LXXII.

De macellis Pragensibus.

Quod tibi venter edax *Praga* sit, ventrisque vorago,
Ostendunt longo longa macella foro.

k) Abiisse *Celtem* e civitate *Pragensi* inopinato, ac summa coeli intemperie supra adnotavimus ex *Argirii* litteris.

l) Motuum tragicorum, qui post *Celtis* profectionem adversus ejus amicos excitati sunt, in eadem epistola meminit idem *Argirius* verbis istiusmodi: „Veniebant „post discessum tuum familiares mei, hostium furia inflammati, conquerentes de „*Conrado*; et me conticescente, objiciebant, carmina nonnulla reliquisse, quibus „episcopus et religio sacratissima vehementissime deturpantur. Quibus respondi, „nihil mihi constare de carminibus. Quae mea responsa audientes, cum gemitu „et gravibus suspiriis, accipies, inquiunt, quae et qualia scripserat ille in dedecus „patriae, et religionis contemtum. Nunquam enim majore infamia patriam esse „notatam intelliges. Unde adhuc hunc furorem, quem conceperunt antea in me, „hac occasione accepta exaggerant; nituntur que eos, quibus est mecum frequen- „tior consuetudo, commovere, et adversus me corrumpere. Sperant enim, ut „ego conjicio, carmina meo esse conflata, et edita consilio .... Mirari non suf- „ficio, quod is, quem carminibus donasti, ea tam inconsiderate publicare ausus „est, coram illis, qui servi sunt talium furiarum. Ego te, si rite memini, mo- „nui, et suadebam saepius, ut nihil ei N. N. credas. Intellexi, nihil latere eos, „qui nos persequuntur odio; quidquid ille cognoverat. Et licet neget N. N. cer- „tissime tamen didici, esse vera, quae scribo. Episcopo veniente in urbem, ejus „experiar furorem."

Ex famosis illis *Celtis* carminibus, quae apud *Pragenses* tantas excitarunt iras, potissimum fuisse reputamus ea epigrammata, quae petulantius *Celtis* lusit in episcopum. Illa *edita* fuisse typis, temere, imprudenterque distributa inter eos, quibus fidere minime debuerat, ab amicis monitus, eadem *Argirii* edocet epistola, plena querelarum. Quis tandem totius tragoediae fuerit finis, aut exitus, quae successerunt *Pragensium* amicorum epistolae, haud declarant.

CAPUT XXIII.

CELTIS MUNUS PROFESSORIUM NORIMBERGAE?

Haud importune hic loci interponitur quaestio: an *Celtis* fuerit aliquando humaniorum litterarum *Norimbergae* professor publicus? In ea quidem profectione, qua e sinu *Codano* rediit, *Celtem* divertisse *Norimbergam*, testibus sodalium aut amicorum litteris exploratum habemus *a*). Neque enim inter omnes, quascunque longis peregrinationibus vidit, civitates, ulla erat alia nostro poetae tam in amore ac deliciis, quam *Norimberga*; ubi saepe libenterque morabatur; cujus descriptionem mandavit litteris, summi, quo in *Norimbergam* ferebatur, studii ac pietatis perenne monumentum *b*). Neque negaverim, quandoquidem videbatur peregrinando fessus, utrisque, ut ajunt ulnis amplexurum eum fuisse in dilecta sibi civitate docendi munus; si illius nanciscendi data fuisset facultas aliqua. Qua quidem in re video hallucinari *Mich. Denisium c*), et quod magis miror, *G. E. Waldau*, qui Norimbergae degit, haud ita pridem scripsisse, praefuisse *Celtem Aegidiano* Gymnasio, quod *Norimbergae* floret, probabiliter annos decem ab anno videlicet 1487. quo *Norimbergae* laureatus, usque ad annum 1497. quo *Viennam* abiit; ac successisse *Norimbergae Joanni Pirckheimero* celeberrimi *Wilibaldi* patri; quem quidem unquam fuisse professorem litterarum publicum in illo gymnasio, aeque falsum reputamus *e*). Illud verum, certumque est, quod *Celtem* attinet, egisse cives, anno 1491., quo *Norimbergae* erat, ut eum haberent, erudiendae in arte poetica juventutis litterariae praeceptorem, stipendio publico, senatus auctoritate praeficiendum *f*). At res aliter cecidit, ac cives optaverant. Non minus abhorret a vero, quod *Andr. Willius* narrat, *Charitatem Pirckheimeram*, *Wilibaldi* sororem, Vestalem virginem *Norimbergae* in collegio Sanctae *Clarae*, post abbatissam, sermonem

latinum didicisse, praeceptore *Celte g)*. Ipsa enim palam, patenterque fatetur, discipulam se fuisse in eo litterarum genere *Wilibaldi* fratris, et quidquid latine nosset, unice se debere, ac referre in acceptis germani fratris institutioni *h)*.

a) Velut manifestum fit ex epistola *Petri Dannhusii*, cujus proxime meminimus.

b) Quo animatus studio in *Norimbergam* fuerit, satis produnt verba, quibus usus est mox ab initio descriptionis hujusce urbis. Ita vero orditur: „cum nuper re„laxandi animi gratia in urbem vestram, ornatissimi et felicissimi Senatores, con„cessissem, vestramque florentissimam rempublicam, ordinem prudentissimi sena„tus, modestissimos cives, religionis superumque curam, sacras aedes, ceteraque „urbis vestrae ornamenta diligentius contemplatus fuissem: coepi multa apud me „tacito animo cogitare, quonam pacto et ego vestris virtutibus monimentum „aliquod relinquerem" etc.

c) Pag. 9. *Wiens Buchdruckergeschichte. M. Denisio* fraudi fuit vocabulum *Norici*. Cum enim *Celtis* scripserit in epist. nuncupatoria, praemissa *Apulejo*, quem *Viennae* edidit an. 1497., vocatum se esse ad *Viennensem* academiam e *gymnasio Norico*, ratus est: *Norico* illo gymnasio, ubi ante docuisset, *Norimbergense* designari. *Noricum* latius patere, supra ostendimus. Paulo autem infra comprobabimus, *Noricum* illud gymnasium non fuisse aliud, quam *Ingolstadiense*.

d) *G. E. Waldau* pag. 236. II. B. *vermischte Beitraege zur Geschichte der Stadt Nürnberg* 1787. 8. ita habet: „Damals (1487.) war *Celtis* also bei uns; und lehrte „humaniora wahrscheinlich ein ganzes Decennium hindurch. Denn in der Zu„schrift von *Lucii Apuleji Epitoma* etc. sagt er, er sey 1497. a *gymnasio No„rico* nach Wien gekommen." Ex quibus intelligimus, fontem ejusdem erroris esse pariter ignorationem *Norici*. Pari confidentia haec repetit pag. 293. l. c. hisce verbis: *Conrad Celtis sagt in einer seiner Schriften: er sei von der Schule zu St. Egidien* 1497. *nach Wien gegangen*. Quibus quidem refellendis opus non est refutatione seria; neque contentiosius certandum in re manifesta, ac evidenti. Asserti falsitas abunde constat tum ex his, quae retulimus hactenus de peregrinationibus *Celtis*, postquam an. 1487. *Norimbergae* erat *laureatus*; tum ex aliis, quae mox referemus de docendi munere, quo functus est *Ingolstadii* sequentibus annis.

e) Eadem levitate in alium errorem incidit idem *G. E. Waldau*, seductus *Profes-*

soris haud rite intellecto vocabulo. Ex eo enim, quod *Celtis Bilibaldi* patrem *Joannem Pirckheimer* nominaverit in descriptione *Norimbergae* Cap. XII, *utriusque juris professorem*, perperam conclusit *Norimbergensis* scriptor, docuisse eum jurisprudentiam in gymnasio *Aegidiano Norimbergae;* quasi *professoris* vocabulum constanter indicaret eum praecise, qui in scholis publicis munus docendi obiret. At vero *Tullium* et *Quintilianum* si audimus: nomine *professoris* is venit, qui scientiam, aut artem aliquam callet, aut exercet. Quo significatu recte dictus est a *Celte Bilibaldi* parens *utriusque juris professor*; tum quod insignis fuerit gradu academico doctoratus juridici; tum quod trium Germaniae principum egerit *consiliarium*. Legi eam in rem meretur *Joannes Im Hoff*, nepos *Joannis Pirckheimeri*, qui *Bilibaldi* vitam edidit, praefixitque libello: *Theatrum virtutis et honoris*, Norimb. 1606. 8. pag. 78., ubi *professoris* nomen a *Celte* datum *Joanni Pirckheimero* rectius interpretatur.

f) Studia, quibus *Norimbergae* cives ferebantur in *Celtem*, eorumque vota, queis eum sibi deposcebant in poeticae artis professorem, precesque pro illo interpositas apud magistratum refert *Petrus Abietiscola* (alias *Dankauser*, *Danusius*) in data ad *Celtem* epistola die 1. Sept, an. 1491. *Romanorum*, inquit, *imperium clariorem urbem, magisque nominatam habere non reris.. cives nostri laborant jam, si consules vellent fovere poetam annuo stipendio: et spero, quod consequeris nobiscum magnifica. Nam carminibus tuis maxima fides. Quam pressa et decora sunt omnia: usque adeo, quod nonnulli sunt, qui dies et noctes apud senatum vigilant: si te in nostrae urbis poetam habere valeant. Ornat te magnitudo animi. Non est difficultas, quin consequaris omnia vota. Scribam tamen ad te omnia, quae interim nomine tuo agentur.*

g) Pag. 197. *Lexici eruditorum Norimbergensium* T. III. scribit: *Conradus Celtes, ihres Vaters, und Bruders beständiger Freund, hat sie bei seinem geraumen Aufenthalt in der lateinischen Sprache unterwiesen.*

h) Epistola VII. hunc in modum scribebat *Charitas* ad *Bilibaldum* fratrem: „Remitto tibi, germane charissime, carmina devota *Prudentii* poetae christianissimi, quae suaviter ad stomachum mihi faciunt... volumen vero egregium divi „*Hieronymi* placet diutius reservare. Videor enim vero thesaurum mihi invenisse „pretiosissimum ... Dabis veniam meis incultis, atque incongruis litteris, quas „ideo ad te exaravi, ut habeas occasionem corrigendi meam ruditatem, ceterasque „incongruitates in lingua Latina, cujus minime sum perita; cum nullum unquam „habuerim praeceptorem, praeter te germanum meum amantissimum," etc.

Initio epistolae V. vocat se *discipulam* *Bilibaldi* fratris, eumque nominat *praeceptorem unicum.* *) Epistolae *Charitatis* adnexae sunt *Bilibaldi Pirckheimeri operibus polit. histor.* etc. editis a *M. Goldasto* Francof. 1610. fol. **) *Charitatis* epistolas tum ad *Celtem*, tum ad *Bilibaldum* fratrem dudum ante typis exscribi curaverat *Christophorus Scheurlius*, studii Bononiensis syndicus.

*) *Bilibaldus Pirckheimerus*, Patritius *Norimbergensis*, praeter amplissimos honores, quibus patria et pacis et belli temporibus eum subinde exornavit, potentissimis Imperatoribus, *Maximiliano* I. ejusque nepoti *Carolo* V. a consiliis fuit, et quantumvis in maximis versaretur negotiis, summoque Principum esset favore usus, nihilo tamen secius animum nunquam non ad elegantiores litteras applicavit, et veram rectamque studiorum ingressus viam, eloquentiae vim atque ornatum ad rem publicam aeque, ac sacram tuendam juvandamque contulit. Quod de *Catone Censorio* proditum est, eum et bonum *imperatorem* fuisse, et *senatorem*, et *patremfamilias*, idem de *Pirckheimero* vere affirmari posse censet *Conradus Rittershusius*, cui luculentissimum de vita ejus commentarium, operibus a *Goldasto* editis praemissum, debemus. Aedes ejus aeque, ac *Joannis Dalburgii eruditorum hospitium* seu *diversorium* habitae sunt. Quanti *Reuchlinum* fecerit, non solum ex compluribus, iisque perhumanis utriusque epistolis apparet, sed et pulcherrima, quam pro ipso emisit *Pirckheimerus*, apologia ostendit, quae praefatione ad *Luciani* dialogum: *piscator* inscriptum, et a *Pirckheimero* latine versum (Norib. 1517. 4.) continetur. Neque verbis solum, sed et rebus *Reuchlino* inopia, in exilio praesertim, laboranti, et amicorum opem imploranti subvenit. Magnus autem *Erasmus Bilibaldo* id, quod *Ciceroni Atticus* quondam fuit, extitisse, *Ritershusio* visus est. Quae porro eidem cum *Celte* nostro, *Jo. Cuspiniano*, *Henr. Lor. Glareano*, *Julio Pflug*, *Joach. Camerario*, *Petro Mosellano*, *Zasio* itidem nostro, aliisque viris doctis intercesserit amicitia, abunde demonstrant epistolae familiares, quas ex bibliotheca *Pirckheimerana* laudatus protraxit *Goldastus*, lectu dignissimas, unde scilicet universe illorum temporum facies, et comprimis religionis litterarumque conditio cognosci possit. Ceterum duae *Pirckheimeri* epistolae altera a 1502., altera a 1524. ad *Celtem* datae, nondum editae, in codice, quem habemus, epistolari servantur. R.

**) Erant *Bilibaldo* sorores duae, de quibus ad *Erasmum* ep. 26. apud *Goldastum* scribit: „Salutant te geminae meae sorores, Abbatissa *St. Clarae* una (*Cha*„*ritas*), altera ejusdem regulae sectatrix (*Clara* nomine), quae assidue „tua scripta manibus retinent; maxime vero jam novo oblectantur testamento,

„quo mire afficiuntur mulieres, multis viris, qui sibi scioli videntur, doc„tiores. Scriberent ad te latine, nisi indignas suas existimarent litteras." Singularem *Charitatis* epistolae pietatem spirant, quarum tertia l. l. *Celtem* ita hortatur: „Recogitate, peto, insignissime Doctor, quod sapien„tissimus hominum post investigationem omnium sub sole fatetur. *Vani„tas*, inquit, *vanitatum, et omnia vanitas, et afflictio spiritus; plenitudo autem sa„pientiae timere Deum.* Si ergo omnia vana sunt, praeter Deum timere, co„lere et amare, cui servire regnare est: utique vanitati non est adhaerendum, „sed omni celeritate ad certissimam veritatem, quae in sacra scriptura recon„dita est, recurrendum." Quin imo et *Bilibaldi* filiam, *Catharinam*, litterarum admodum fuisse studiosam, testatur *Crusius Annal. Suev.* P. III. Lib. III. c. 4. R.

CAPUT XXIV.

VOCATIO AD MUNUS DOCENDI APUD INGOLSTADIENSES.

Celtis, uti apud Sarmatas *a*), ita *Norimbergae b*) rem ex animi sententia minime cedere, ubi senserat; studio peregrinandi denuo correptus in *Gallias* cogitavit et *Britanniam c*). Rogatus ab *Hieronymo Croario*, substitit apud *Bavaros*, apud quos effulgebat spes aliqua, nanciscendi id, quod cupiebat, munus videlicet docendi artes, quas didicerat. Erat tum temporis *Ingolstadii* poeta vetulus, muneri rite obeundo fere impar *d*). Nullum non moverunt lapidem, omnemque operam impenderunt *Celtis* amici, maxime *Sixtus Tucher*, et *Hieronymus de Croaria*, ut *Celtem* facerent voti compotem, inferrentque collegio professorum *e*). Equidem non deerant, qui modis omnibus rem impedire nitebantur. Caussabantur alii, opes academicas non sufficere, duobus nutriendis poetis *f*). Alii religionis causa *Celtem* suspectum facere satagenses, dictitabant, hominem noxium esse, et indig-

num, qui erudiendae juventuti praeficeretur *g*). At vicerunt nihilominus, qui *Celti* favebant, remque eo deduxerunt, ut nequicquam adversantibus inimicis, annuente *Georgio*, duce *Bavariae* ad tradendam artem poeticam et oratoriam *Ingolstadium* vocaretur *h*). Dum annalium academiae *Ingolstadianae* scriptores, *Valentinus Rotmarus*, et *Joa. Nepom. Mederer* discrepant, quo Rectore, aut anno *Celtis* nomen dederit, inscriptusve sit albo academico; fidem et assensum praebeo verbis viri cl. *Pauli Schönbergeri*, *Benedictini*, professoris Theologiae apud *Ingolstadienses*, qui hortatu nostro acta academica inspexit, testatusque est, *Celtis* nomen legi inter inscriptos die I. Febr. an. 1492. Rectore *Joanne Kaufmann*. Etsi vero apud *Ingolstadienses* docere ineunte anno 1492. *i*) coeperit; orationem tamen inauguralem non declamavit, nisi ad finem mensis Augusti ejusdem anni *k*). Praeterea, quanquam stipendio publico fuerit conductus: munus tamen illud non erat perpetuum *l*), sed commissum ad unum duntaxat annum; quo elapso necessitas imposita fuerit, ejus prorogationem flagitandi *m*).

g) Venisse se nuper e *Sarmatia* in *Bavariam*, sibique fuisse in animo in *Gallias* proficisci, atque *Britanniam;* sed rogatum ab *Hieronymo Croario*, ut gradum sisteret, doceretque juventutem *Danubianam*, declarat *Celtis* Lib. II. Ode 25. ad *Hieron. de Croaria*, quem hunc in modum affatur:

Mens erat nuper trucibus relictis
Sarmatis *Rhenum* patrium videre,
Gallicas urbes, et ab orbe secti
Regna *Britanni.*

Sed tuis votis vigil expetisti,
Ut leves Musas rigidum per *Istrum*
Jam canant nostri juvenes, sonora
Plectra moventes.

h) Apud *Norimbergenses* res trahebatur in longius: donec tandem perruptis difficultatibus, quae obstabant, efficeret apud senatum *Joannes Pirckheimerus*, *Bilibaldi* pater, ut stipendio 100. aureorum in *Norimbergensi* gymnasio traderetur ars poetica, una cum oratoria. Ad quod quidem muneris primus e *Monaco* (*Monachio*) vocatus est *Henricus Groningerus* vel *Greningerus*, institu-

tus in Italia, exquisita doctrina, et morum honestate conspicuus. Confer. *Celtis Norimberga* cap. 12. in fine.

c) Recole ea, quae ex *Celtis* Ode Sapphica ad *Hieronymum Croarium* proxime attulimus litt. a)

d) De vetulo hoc poeta *Sixtus Tucher*, jurium professor *Ingolstadii*. in epistola ad *Celtem* an. 1491. haec habet: „Si quis forte casus vetulum illum raperet; „facilius et commodius (si saltem velles) suo loco surrogareris . . . Quanquam „enim plurimis annis se victurum sua sibi spe minime desit: cujus gratia, rei „familiaris et annui reditus solito avidius augmentum corrodit, et ambit, quod „unicum, ut nosti, senectutis vitium est. Verendum tamen sibi arbitror, ne „non citius, quam sibi persuadeat, mortem cum vita (rectius: *vitam cum* „*morte*) sit commutaturus; quod tamen summo illi rerum conditori, quam alteri „cuiquam, notius nemo ambigit."

De *Sixto Tucher*, patria *Norimbergensi*, consule *A. Willii* Lexicon eruditorum *Norimbergensium*.

Exagitat eundem vetulum *Celtis* Lib. II. Ode IV. *ad vetulum poetastrum, et rapophagum*. Incipit: *Bis denos, memorant, tibi per annos.* Eidem exprobrat, quod annos viginti triverit *Ingolstadii* oratoriam et poeticam artem docendo; quin doctrinae specimen quoddam ediderit. Objicit illi vitium librotaphiae, eundemque provocat, ut carmine aut versibus respondeat. Quod ni fecerit, poetae nomine pronuntiat indignum. *Celtis* modestiam merito hic desideres, seni juveniliter, ac intemperantius insultantis.

e) De sua, et amicorum opera apud principem loquitur in sua ad *Celtem* epistola *Sixtus Tucherus*. Atque *Celtis* ipse, quantum ea in re debeat amicis, in oratione sua inaugurali, haud obscure profitetur hisce verbis: *Is locus ad publice profitendam oratoriam et poeticam, ab illustrissimo principe nostro Georgio, et vobis viris clarissimis, qui omnium consiliorum suorum conscii estis, mihi designatus etc.*

f) Huc faciunt ea, quae ad *Celtem* scribebat l. c. *Sixtus Tucherus*: *Vereor,* inquit, *plerosque non defuturos, quibus id minime cordi sit, arbitrantes, duorum poetarum conductioni reditus nostros non suffecturos etc.*

g) Non defuisse, qui religionis causa negotium *Celti* facesserent, palam est ex epistola *Mauritii Adorf*, plebani *Ingolstadiensis*, et Theologiae professoris,

qui saepe functus est munere rectoris academici. Excusat is se apud *Celtem* contestans, non esse se ex eorum numero, qui religionis causa ejus famam lacesserent. Se duntaxat ea de re locutum cum *Celtis* amicissimis, ut criminationibus obtrectatorum respondere facilius posset, ejusque famam tueri. *Credas firmiter*, scribebat ad *Celtem* an. 1491. *Ingolstadii* ex balneo, *et nullatenus dubites, fautorum optime, Adorf, plebanum tuum, non talem erga te esse, qui famam nominis tui in aliquo vellet denigrari; sed potius crescere, et adaugeri. Scias denique, de confessione et religione tua apud nullum me mentionem aliquando habuisse, nisi ob famae tuae defensionem, resistendo detractioni de te factae. Duobus duntaxat tibi amicissimis Gabriele et Sixto doctoribus demptis, quibus post multiplicem inquisitionem religionis tuae Adorf animo, et intentione consulendi famae tuae, hac in re verba fecit.*

h) *Celtem* munus docendi publicum *Ingolstodii* fuisse consecutum ineunte anno 1492. referunt academiae acta. Etenim Albo academico, ut habet annalista *Ingolstadianus*, inscriptus an. 1492. die 2. Febr. verbis his: *Novus professor, Conradus Celtis Wirceb. prof. human.*

i) Initio Anni 1492. docuisse *Celtem Ingolstadii*, conficitur ex epistola nuncupatoria, praefixa *Epitomae Rhetoricae*, quae subscriptum habet diem V. Calendas Aprilis an. 1492. In dicta autem epistola nuncupatoria asserit, *nudius se tractasse elementa condendae orationis*, unde anno 1492. habuisse eum in ea arte discipulos, in quorum gratiam illud opusculum adornaverit; *ut*, quemadmodum scribit, *adolescentes nostri, et bonarum artium studiosi haberent illud praegustamentum, quasi primi lactis haustum.* His adde, quod *orationem inauguralem, quam Ingolstadii* habuit, legendam exhibuerit *Joanni Kauffmann*, legum doctori; qui quidem adnexis quibusdam adnotationibus eandem *Celti* remisit, ut epistolae *Kauffmannianae* fert subscriptio: *Sacro Epiphaniarum die*, anno 92. Quodsi die VI. *Januarii*, in quem solemnitas *Epiphaniae* incidit, remisit illam orationem *Celti*: satis probabiliter affirmari potest, inclinante anno 1491. *Celtem* fuisse *denominatum* apud *Ingolstadienses* publicum instituendae juventutis professorem.

k) Noti anni et diei, quo illam orationem recitavit, subjecta est ad orationis calcem paradoxa hac verbarum formula: *Dicta a prima elementorum concordia 6691. pridie Kalendas Septembris.* Rebantur nonnulli, in numeris cubare vitium. Qui si consideraverint, secutum esse *Celtem* chronotaxin *Eusebii*, qui statuit, Christum esse natum anno mundi conditi 5199., quibus si addas annos 1492., confici hinc videbis annum mundi 6691., quo illa oratio dicta est. Simili annos numerandi modo usus est *Hartmannus Schedel* in suo chronico. Sic fol. CCLVII.

refert, *Alexandrum* VI. creatum esse pontificem anno mundi 6691., moxque subdit annum Christi nati 1492., qui illi numero orbis conditi respondeat.

l) *Docuit Celtis*, verba sunt *Ingolstadiani* annalistae T. 1. pag. 40. *ab hoc tempore per aliquot annos studia humanitatis, nondum quidem ullo stipendio conductus, quod Collegiatis tantum a principe numerabatur.* Pag. 22. scripserat: *Reliqui, qui Collegiati non sunt, fere ex bursis sustentabantur, quarum rectores erant; vel ex didactro, quod e scholaribus colligebant.*

m) Fuisse *Celtem* sumptibus publicis conductum, dubium non est; quandoquidem in carminis *panegyrici* ad duces *Bavariae* inscriptione, quo gratias egit pro demandata sibi docendi provincia, diserte dicat: *Dum in Ingolstadio donatus fuisset publico stipendio a principe.*

CAPUT XXV.

CETERA, QUAE HUC ATTINENT.

Admotus itaque *Celtis* anno 1492. *Ingolstadii* publico muneri erudiendae in oratoria et poetica facultate litterariae juventutis, in primis numerabat curis, ut earum artium, queis tradendis erat destinatus, genuina instillaret principia his, quos suae disciplinae habuerat demandatos. Quocirca ex magistris optimis optima selegit, quae Romanae eloquentiae candidatis possent esse usui *a*). Huc spectat *Epitome* collecta *ex utraque Ciceronis rhetorica b*), quam vulgavit typis, dum apud *Ingolstadienses* docere coepit *c*); ut, quemadmodum loquitur in epistola nuncupatoria ad *Maximilianum* I. Romanorum regem, *germanicae juventuti aliquam introductionem breviusculam in modum praegustamenti* praeberet, unde bonus orator formari posset. Adjunxit rhetorico huic compendio *tractatum*, quo modus praescribitur, componendi

epistolas, ut Romano pariter more disceret juventus patria, colloqui cum absentibus *d)*. Ut disciplinarum, quas per anni scholastici decursum erat professus, ederet quoddam specimen, audiente Academia, orationem recitavit *e*, qua statum miserum, quo tum aetatis erat apud Germanos res litteraria, vivis quasi coloribus depinxit. Dolet principum et episcoporum, quos rei litterariae invigilare oporteret, inertiam atque ignorantiam. Accusat professorum, qui in quatuordecim gymnasiis *Germaniae* publicis tum temporis dominabantur, ruditatem non ferendam. Optat, ut omnis generis artes et scientiae liberales suae dignitati, nativoque splendori apud nos redderentur; ut necesse non esset, quaerere apud Italos, quod apud nos in promptu foret. Neque praetermisit, documentum addere aliquod poeticae artis, cujus institutiones eodem anno tradiderat. Publicavit eam in rem carmen panegyricum in laudem ducum Bavariae *f)*. Inter alia praedicat *Georgii* ducis amorem in litteras, favorem ac benevolentiam erga litterarum cultores, atque meliora ingenia. Extollit curam et sollicitudinem reducendi in scholas patrias omnis generis disciplinas, libero homine dignas. Spem tandem facit, brevi fore, ut tali principe, omnis res litteraria apud Bavoros felicissime efflorescat, pulsa barbarie.

a) Studium *Celtis* ardoremque singularem in provehenda apud Germanos pura, elegante, vereque Romana eloquentia, hausta ex fontibus limpidis scriptorum aetatis aureae, praedicat *Jac. Burckhardus*, earum rerum atque ingeniorum aequus arbiter. *Is itaque*, inquit pag. 308. P. II. de Fatis L. L., *fuit Celtes, qui Germaniae juventutem ad limpidissimos istos Romanae eloquentiae fontes duxit: cui suasor et auctor fuit, ut nihil legeret, nisi quod caste, limate, terseque scriptum esset; ab illis autem imperite, et negligenter scriptis ita sibi caveret, ut a calamitate et ingenii tabe: inquinatam enim lectionem sordes ingerere, edocuit, et mentem hujus simili inquinare tabe.*

b) Epitomen istam affirmat, se collegisse ex *utraque Ciceronis rhetorica*. Opinor, ex *Tullii* libris duobus *de inventione rhetorica*, et ex libris quatuor *Rhetoricorum ad Herennium.* Verum constat inter eruditos, hos quatuor ad *Herennium* libros *Ciceronis* non esse: sed *Cornificii* cujusdam, velut censet *Mancinellus*, cui suffragatur *Otto Menkenius* pag. 296. vol. VII. *Miscell. Lips Nov.*; ut alios, qui idem censent, missos faciam.

c) Etsi vero *rhetorica* *Celtis* *epitome* notam anni, quo fuerit publicata, non praeferat: suspicio tamen haud levis est, neque inanis conjectura, prodiisse eam ineunte anno 1492. Siquidem epistola nuncupatoria epitomae praefixa, data sit ad *Maximilianum* Romanorum regem, ex *Ingolstadt quinto Calendas Aprilis, anno salutis MCCCCXCII.* De repetitis hujus Epitomae editionibus alibi fiet a nobis mentio.

d) Diffilice est dictu, quae barbaries tum invaserit artem conficiendarum epistolarum. Circumferebantur libelli, quos barbare vocaverunt *modos epistolandi*, ad corrumpenda juventutis litterariae ingenia, protrusi in lucem ab hominibus, invita Minerva natis; cujusmodi erant *Paulus Lescher*, *Jo. Borida*, *Menellius*, *Poncius*, *Karolus*, aliique obscurioris nominis. Hunc quoque agrum a sentibus, quibus erat horridus, ut repurgaret *Celtis*, methodum conscripsit, ediditque componendarum epistolarum, quae propius accederent ad morem veterum. Indignabatur autem potissimum, quod *ab hominibum barbaris ac indoctissimis in speciem adulationis mos inductus* fuerit, ut nomen illius, ad quem scribimus, in salutatione praeponeretur. Saepius recusum esse hunc *Celtis* libellum, insertumque collectioni scriptorum similis argumenti, dicemus loco opportuniore.

e) Quanquam orationem illam recitaverit *Celtis* die postrema mensis Augusti an. 1492., palam tamen est legenti epistolam *Joannis Kauffmanni*, *Ingolstadii* legum doctoris, elaboratam, maturamque prelo jam fuisse mox ineunte eodem anno. *Kauffmannus* enim remisit *Celti* die VI. Januarii dicti anni eandem orationem, suo probatam assensu, ornatamque singulari elogio; adnexo voto, ut ob sui praestantiam typis ederetur; quemadmodum copiosius, pluribusque verbis exponit laudatus legum doctor in epistola Msc. ad *Celtem* subscripta: *ex aedibus nostris, sacro Epiphaniarum die anno 92.* *)

*) Hanc *Celtis* orationem rursus edidit, sed mendose admodum, *Felix Joseph Lipowski*, eandemque attexuit *historiae Agnetis Bernauerinn.* Monachii. 1800. 8. R.

f) Carminis *panegyrici*, quod contextum est versibus heroicis, praefixumque orationi, de qua proxime verba fecimus, istius modi est exordium:

Italicas tentare lyras, et fila canoris.

Multus admodum et effusus est poeta in *Georgii* ducis, cultoris litterarum, ac *Maecenatis*, quem hunc in modum affatur:

O decus, o nostrae, dux illustrissime, gentis
Gloria, qui Latias Germana in regna Camoenas
Invehis, Aonio deducens vertice Musas.
Hinc tibi magna dabit atque immortalia dona
Cynthius, et longa facient te vivere vita
Pierides, quas ipse colis etc.

Eandem *Panegyrin* intulit *Celtis* libro V. epigrammatum. num. 8.

CAPUT XXVI.

PROFECTIO VIENNAM PANNONIAE.

VIENNENSIUM STUDIA DE CELTE RETINENDO.

Absoluto *Ingolstadii* anno litterario, feriis autumnalibus profectus est *Viennam a*). Haud dubitanter in animo habuit, quoniam *Ingolstadium*, quemadmodum versiculis plurimis prodidit *b*), sibi displiceret, quaerere apud *Viennenses* locum, quo tanquam in theatro augustiore eum, quo erat accensus, pellendi barbariem e scholis Germaniae, melioresque litteras invehendi ardorem luculentius posset commonstrare *c*). Ut *Viennensium* animos sibi conciliaret, primo mox ingressu de litteraria juventute bene mereri studuit. Collegit novus advena juvenes discendi cupidos, quibus oratoriae et poeticae artis praecepta instillaret *d*). Quae res studiorum elegantiorum amatoribus adeo placuit, ut tam praecellentem formandae juventutis magistrum apud se mallent retinere. Initis itaque consiliis, in annum *Celtem* conducendum putaverunt, certa largitione proposita *e*). Facile quidem perspicitur, id genus stipendii publicum non fuisse; sed minerval duntaxat privatorum, pendendum vel a discipulis, vel a Maecenatibus aliis. Acceptavit *Celtis* con-

ditionem oblatam, promisitque, rebus *Ingolstadii*, quo redire se oporteret, compositis, convasatisque libris, ut instructior veniret, esse se reversurum *Viennam*, ut, velut conventum esset, scholasticis praelectionibus initium daret. Verum promissis non stetit. Poenitentia enim ductus, *Viennam* non rediit; quemadmodum, etsi sero, missis per famulum litteris amicos edocuit, causatus, se non venturum, nisi invitatum doctorum datis ad se litteris *f*). Addidit, aut *Tichtelius* pro eo finxit potius, quod decrescentibus diebus lusum litterarium aperire recusaret. At rem propius tetigisse videntur, qui affirmant, noluisse *Celtem*, secus ac promiserat, verbis stare; quod interea compererit, se postposito, selectum fuisse alium, videlicet *Franciscum Bonomum g*), qui stipendio publico conductus esset ad tradendas in academia *Viennensi* eas litteras, quarum professionem *Celtis* ambiebat. Quam rem cum invidiae plenam fore, facile praevideret; pedem ultro, ut opinamur, retraxit. *h*)

a) Fuisse *Celtem* Viennae anno 1492., colligitur ex sodalium et amicorum litteris pluribus msc. eo tempore exaratis. Huc veniunt epistolae *Bartholomaei Steber*, *Jacobi Canter*, medici et poetae laureati *ex Curva insula*, *Joannis* (*Benedicti*) *Tichtel*, philosophi et medici *Viennensis*, *Joannis Tolophi*, canonici *Ratisbonensis*, cujus epistola, data anno 1493. absque nota mensis et diei, hanc prae se fert inscriptionem: *Clarissimo viro Conrado Celti, poetae laureato, degenti Viennae Pannoniae, fautori suo.*

b) Satis sit, legere Lib. II. Oden XXVI., ut intelligas, quo fuerit animo *Celtis* affectus in *Ingolstadium*. Incipit:

Autumno rapas dum colligis, et nisi caules.

c) Quo fuerit loco res litteraria apud *Viennenses*, antequam *Maximilianus I.* coepit imperare; declarat *Celtis* Lib. II. Ode III. ad *Benedictum Tichtelium*, quam hunc in modum orditur:

Vienna latis moenibus imperans,
Quae *Friderici* patria Caesaris
Me suscipit; dum *Sarmatarum*
*Pannoniae*que plagas reliqui.

Suis adhaerens semper ineptiis,
Et terminorum vana vocabulis,
Dum bella verbosus sophista
Per *Socratem* gerit, et *Chimaeram.*

Feras volantes tollit ad aethera:
Non esse, et esse involvit, et arduam
Sophismatum tractationem
Barbarico tonat apparatu. *)

Succedens Stropha quinta de *Maximiliano I.* collegii poetici fundatore mentionem facit. Quae cum in codice msc. *Norimbergensi* desit, merito suspicamur, eam demum post obitum *Friderici* huic Odae esse insertam; maxime, quod Stropha prima *Celtis* asseruerit a *Friderico Viennae* se esse susceptum.

*) Statum academiae *Vindobonensis*, qualis erat *Friderici III.* aetate, his verbis descripsit qui tum *Viennae* versabatur, *Aeneas Sylvius*, postea Papa *Pius II. epist.* 365. „Maximum hujus (academiae) vitium est, quod nimis „diutinam operam in dialectica, nimiamque temporis in re non magni fruc„tus terunt. Qui magisterii artium titulo decorantur, hac una in parte maxi„me examinantur. Ceterum neque musicae, neque rhetoricae, neque arithme„ticae curam gerunt; quemvis metra quaedam et epistolas ab aliis editas impe„rite exhibentem *Magistrandum* compellant. Oratoria et poetica penitus apud „eos incognita, quibus omne studium in cavillationibus, solidi haud quaquam „multum. Qui libros *Aristotelis* et aliorum philosophorum habeant, raros „invenies; commentariis plerumque utuntur. Ceterum studentes ipsi volup„tati operam dant, vini cibique avidi. Pauci emergunt docti, neque sub cen„sura tenentur, die noctuque vagantur, magnas civibus molestias inferunt. „Ad haec mulierum procacitas mentes eorum abalienat.“ Verum quo plus offensionis habet illa academiae deformitas, et bonarum litterarum ruina, eo magis praedicanda est felix, quae tempore *Maximiliani I.* facta est, certe quod ad doctrinam pertinet, rerum permutatio. Vid. infra cap. XXXIII. R.

d) Discipulorum *Celticorum* meminit *Tichtelius* in epistola, quam proxime citavimus. *Si*, inquit, *collegium discipulorum tuorum congregatum fuisset; forte ex illo litteras habuisses, quibus fuisses rogatus, invitatusque, ut secundum fidem datam redires.* Ex eo discipulorum numero fuisse *Tichtelii* filios, arbitror me non falli; stropha enim septima Odae ad *Tichtelium* ita canit:

Tu Graeca nostris aedibus excipis,
Clarisque natis discere praecipis:
Et docta quidquid scripta vatum
Blandiloquis recitant libellis.

e) Diserte pronuntiat in sua ad *Celtem* epistola *Tichtelius*: *Tu per annum a nobis conductus, decrescentibus diebus initium facere noluisti.*

f) Refert *Tichtelius* in eadem epistola, se, cum *Celtis Vienna* erat abiturus, quod a lacrymis temperare sibi haud posset, non valedixisse, timuisseque, ne, nescio, quibus intervenientibus impedimentis, reverteretur. Tum quod frustra fuerit exspectatus, *Celtem* violatae fidei accusat. „Cum, verba sunt *Tichtelii*, ex *Vi-* „*enna* nuper ivisses: subtristis mihi animus fuit, ita, ut etiam me tuae valedictioni „subtraxissem. Timui enim mihi, qui vir esse debeam, de lacrymis emittendis. „Nec abs re, fortuna namque tam varia quid tibi contrarii, ut non revenire pos- „ses, moliri posset, in animo versabam. Nec me mea fefellit opinio. Non enim „sine causa tam tarde ad nos puerum tuum *Nicolaum* misisti. Nec his conten- „tus ultra spem, quam nobis cum eodem promisisti, addidisti, non venire *Chri-* „*stophoro* scribens, nec sine doctorum litteris ad te datis venire velle. Quid „sin stri in re sit, nescio, sed pro te causas fingam. Tu per annum a nobis con- „ductus decrescentibus diebus initium facere noluisti. Nos tamen *Terentiano* con- „silio ducti, a te et promissum doctrinae etiam Idibus Decembris accepissemus. „Sed et proficientibus diebus tardus in hoc fuisti. Speravi tamen omnino, quin „principium *Arietis* (Januarii) non esses omissurus in tua doctrina; in quo et mos „est, scholaribus scholas petere. . . Sed video, dolenter quidem, nunc omnia „neglectum iri; et te nonnisi ad Calendas graecas adventurum. Tu tamen dig- „nitatis tuae, fidei nobis datae, et pollicitae consulere debebas etc."

g) In eam cogitationem adducunt nos litterae *Joannis Gracci Pierii* ex *Lyncia* datae ad *Celtem* die ultimo Februarii 1493; in quibus haec leguntur: *Scias, Franciscum Bonomum ad lecturam Viennae accipiendam nondum venisse. Sed exspectatur in dies.*

h) Num *Franciscus Bonomus* munus docendi *Viennae* reapse aliquando adiverit, me latet. Illud scio, paucis post annis fuisse eum *Secretarium regium*, unacum fratre suo *Petro*, episcopo demum *Tergestino*. De utroque *Celtis* amico, suis locis plura referemus.

CAPUT XXVII.

MUNUS DIDASCALICUM RATISBONAE.

COMMORATIO NORIMBERGENSIS; ATQUE VIENNENSIS SECESSUS.

Reversus e *Viennensi* profectione *Celtis*, cum infra suam dignitatem esse arbitraretur, prorogationem muneris, quod proxime elapso anno litterario obiverat *Jngolstadii*, extorquere precibus, aut emendicando mereri: relicto *Jngolstadio Ratisbonam* concessit ad veterem amicum, *Janum Tolophum a)*. Haud dubie ejus opera, ac interventu factum est, ut scholae civicae, quae *Ratisbonae* est, praeficeretur. Hac de re nullibi, quod sciam, occurrit vestigium aliquod, aut testimonium, praeterquam in epistola *Bartholomaei Steber, Viennensis medici b)*, cui *Celtis* ipse per litteras significavit, post suum a *Vienna* discessum *praeceptoris* se *munere fungi Ratisbonae*. Quod quidem, ut *Steberus* refert, amicis pluribus, quos *Viennae* habebat, pene incredibile videbatur esse *c)*. Etsi vero *Steberus* id, quod *Celtis* cepit, consilii non prorsus improbaverit, locum tamen *Ratisbona* opportuniorem judicasset *Jngolstadium*, aut *Viennam* potius. Affirmat, exspectatum *Viennensibus* eum fuisse venturum, desideratumque avide; tempore maxime opportuno, quo nimirum constituisset Caesar, vindicare a barbarie *Viennense studium generale*. Conqueritur tandem de inconstantia animi, aut violata fide. Loquitur de gloria immortali, ac statua, quam meruisset, si stetisset verbo *d)*. *Celtem* non penitus excussisse propositum, repetendi *Viennam*, elucet ex eadem *Steberi* epistola, qua edocemur, voluisse *Celtem* ab eo certiorem fieri, *si melior Viennae pro se esset conditio* speranda. Unde rursus conficitur, id quod paulo ante animadvertimus, redire *Celtem* noluisse ad *Viennenses*, quod privato duntaxat stipendio fuisset conductus *e)*. Quamdiu praecise fuerit functus praeceptorio illo munere *Ratisbonae*, nos equidem su-

git: illud autem exploratum habemus ex *Jani Tolophi* epistolis, fuisse illum *Norimbergae* mense *Junio* et *Julio* an. 1493. et *Viennae* mense Sept. eodem anno *f*; ut appareat, eum haud ultra sex menses illi muneri paedagogico praefuisse *Ratisbonae.*

a) Ad istud fere tempus, quo destitutus erat *Celtis* docendi munere, referri videtur ea *Jani Tolophi* epistola, qua *Celtem* ad se invitavit, offerens victum, vestitum, salariumque competens; donec de stipendio annuo aliunde provisum fuerit. Scribit, *Celtis* opera se indigere. Mittit pecunias. Si locus displicuerit, pollicetur viaticum, ut indemnis redeat. Operae pretium est, tam munifici fautoris audire verba. En epistolae initium: „Vir percelebris! In dies exspecto: „venias velim, rogoque, absque procrastinatione aliqua. Eris mecum, victum, „vestitumque, adjuncto salario competenti, habiturus; donec stipendium curavero „tibi aliorsum, saltem centum per annum florenorum assignandum, apud me mo-„raturus, quousque provisus fueris cum decentia. Egeo opera tua in poemati-„bus, historiisque accumulandis, in re, quam tibi summopere placere existimo. „Iterum rogo, ne tardare velis, expensis meis, si tibi non placuerit locus, redi-„turus. Misi tibi cum juvene tuo quinque aureos. . . Scripsi magistro *Michaeli* „*Puterfas*, decem florenos alios meo nomine consignaret tibi; quem tunc egere „pecuniis intellexi, . . Rescribe . . potius tamen ipse veni."

b) *Bartholomaeus Steber*, *Staeber*, alias *Scipio*, medicinae doctor, ejusdemque professor *Viennae*, sexies functus Decani munere in collegio medicorum, Rectoris academici moderabatur fasces anno 1490. Obiit an. 1506 Scripsit inter primos de lue venerea opusculum, editum *Viennae* an. 1497. vel 98. Conferatur *Denis* pag. 9. 10. 297. *Wiens Buchdr.*

c) *Quas ad me* (rescripsit *Steberus Celti* an 1493. mense Februario) *nuper dedisti litteras, recte intellexi, quibus ab antiquo conditae Ratisbonae praeceptorio munere te fungi accipio. Etsi ex te futurum id plures non putabamus.*

d) Juvat ad confirmationem dictorum ex *Steberiana* epistola excerpere, quae huc faciunt: „Si Ratisbonam, inquit, tua, qua praefulges instar radiosissimi syderis, „doctrina, tuis moribus, tua virtute, ac singulari modestia, humanitate ac be-„neficentia dignam cogitaveris: sapienter actum, te ad nos crudos homi-„nes non rediisse. Nemo enim consultius, commodius de tuis rebus te ip-„so judicabit. Sed longe aliter tuus *Joannes Tichtel*, pluresque alii, „et ego rem eventuram, quam nunc contigisse videmus, sperabamus. Pr-

„ratam habebas te dignam exspectationem, ad tua promissa omnibus continue con-
„querentibus: *Veniet, veniet, statim, statim*, magna certitudine dicebamus. Non
„parum gaudii tuus famulus nobis afferebat suo adventu, tuum certum praecur-
„sorem non dubitantes. . . Opportune venisses profecto in studium nostrum ge-
„nerale, a sentibus, et dumosis spinis, volente Caesare, mundatum, et in primis
„studium humanitatis, praecipuum locum in his, quae liberalium artium sunt,
„majestas imperialis prae aliis mandat habere. . . Ad tuum propositum, *elimi-
„nandi barbariem ex Scholis Germaniae*, potius *Ingolstadt* tibi locum quam *Ra-
„tisbonam* elegisses: quamvis in *Vienna* praegnantiore gloria id facere potuissses,
„et immortalitatem quandam, statua perpetua dignam, post te reliquisses. Parce
„domine *Conrade!* relaxasti aliquantulum nodum fidei."

e) Necdum patuisse *Celti* locum in academia *Viennensi* ad obtinendum docendi munus ordinarium, publicumque, colligitur ex *Stiberi* responso, quod calci epistolae attexuit; *Scribis*, inquit, *me te certiorem facere, si melior hic pro te esset conditio. Neutiquam tibi aliquid polliceri possum.*

f) *Jani Tolophi* epistola *una* data est *Ratisbonae*, an. 1493 die 30 Junii; *altera* eodem an. die Jovis 25. mensis Julii; *tertia* itidem mensis Julii die Jovis (quo?) quae quidem singulae inscriptionem praeferunt; *Conrado Celti Norimbergae in domo Sebaldi Schreyer*. *Quarta* autem data an. 1493. *die Saturni post Galli*, i. e. paulo post diem XVI. Octobris, inscripta est: *Clarissimo viro Conrado Celti, poetae laureato, degenti Viennae Pannoniae, fautori suo Janus Tolophus.* Quae posterior *Jani Tolophi* epistola dubitare nos non sinit, diversatum fuisse *Celtem* autumni tempore an. 1493 *Vindobonae*; unde rursus, ut mox videbimus, spe frustratus petiit *Ingolstadium*.

CAPUT XXVIII.

REDITUS AD ACADEMIAM INGOLSTADIENSEM.

Quibus modis evenerit, ut, qui anno superiori excesserat, ad *Ingolstadiensem* academiam redierit *Celtis*, frustra est a nobis indagatum. Neque legitur in academicis actis, quod huic rei lucis quidquam affundat. Simpliciter acta perhibent, *anno 1494. conductum esse ad legendum studia humanitatis M. Conradum Celtis, Herbipolitanum, primum Germaniae poetam a).* Quae quidem verba interpretatione ut illustraret annalium editor *b*), addidit, inde ab anno 1492. ad id usque temporis fuisse *Celtem* professorem *extraordinarium*, aut ejus generis, cui *minerval* a discipulis penderetur; at anno 1494. fuisse constitutum *ordinarium*, id est, eum, cui princeps sumptibus publicis stipendium numeraret. Hallucinari in hoc commentandi genere annalium interpretem, supra notavimus *c*). Quibus addimus, quod pariter commentatorem *Ingolstadianum* fugit, exacto anno 1492., docendi munus *Ingolstadii Celtem* non protraxisse, velut nuperrime ostendimus *d*). Anno 1494. ad profitendas in illa Musarum sede humaniores litteras rursus fuisse conductum stipendio publico, eandemque provinciam ei demandatam fuisse, non ad unius duntaxat anni; sed ita, ut statio esset perennis, velut est professorum, qui *ordinarii* dicuntur, ultro assentimur annalium expositori, facileque largimur. Muneris sibi impositi ut initium faceret, orsus videtur esse ab interpretatione *Rhetoricae* ad ductum *Ciceronis*, cui adjunxit methodum, componendi *epistolas* more veterum, artemque *memorativam*, cujusmodi novam confinxerat. Ad quas quidem acroases earum litterarum studiosos affixo programmate invitavit *d*). Pari modo ad artis poeticae percipienda praecepta jussit adesse ingenuos juvenes *f*). Alio tempore, dum, vale-

tudine sinistra interruptis praelectionibus publicis, ad munus docendi rediisset, *Horatium* juventuti litterariae explanasse, ex libris epigrammatum *Celticorum* pariter edocemur *g*). Habuisse *Celtem* domi disciplinae suae commendatos bonae indolis adolescentes, qui uno secum tecto atque victu uterentur, litterae amicorum sodalium testatum faciunt *h*). Recte haec quidem. At vitio vertebatur, quod vagandi actus libidine, immoderatoque peregrinandi correptus studio, non haeserit diu eidem loco. Qua re factum, ut *Ingolstadii* male audiret, quod saepe absens praescriptas praelectiones frequens omitteret, invidiamque apud collegas, et in notam praeceptoris haud satis seduli ac fidelis incurreret. Officii sui frustra admonitus ab amicis *i*) reliquit equidem non nulla scripta, quibus spoponderat, se compensaturum majore diligentia, quod absentia neglexerit *k*). At suppetunt quoque alia, quibus id, quo tenebatur, peregrinandi cacoethes tueri et excusare studuit *l*). De his peregrinationibus, quas obiit illis annis, quibus operam suam locaverat academiae *Ingolstadianae*, quae quidem ad notitiam nostram pervenerunt, mox adjungemus, ne quid, quod ad plenam hujus loci tractationem pertinet, praetermisisse videamur.

a) Vid. Part. I. pag. 44. *Annal. Ingolstad. Academiae.* edit. nov.

b) *Joa. Nep. Mederer* l. c.

c) Conf. *cap. XXIV. not. l.*

d) Huc faciunt ea, quae attulimus *cap. praec.*

e) Lib. I. epigr. XVIII.

Si quis *rhetoricen Ciceronis* vtramque requirat,
  Qui Latiae linguae dicitur esse parens;
Si quis *epistolium* v . vera scribere et arte,
  Et *memorativae* qui petit artis opus:
Hic cras octavam dum malleus insonat horam,
  Conradi Celtis candida tecta petat.

f) Quod sequitur epigramma XXI. inscriptum *Musarum studiosis*, artem pollicetur componendi versus.

Mellifluis cupiens, juvenis, cognoscere versus,
Et canere ad resonam carmina cuncta lyram:
Mox cras septeno dum malleus insonat ictu,
Ad nostros properes, erudiende, lares.

g) Postquam reconvaluerat ab aegritudine, quacum erat conflictatus, denunciavit epigrammate sequenti, prosecuturum se esse *Horatianorum* poematum interpretationem:

Restituit priscum plus quam Deus ipse vigorem,
Et nobis sartum corpus habere dedit.
Incipiam veteri *Celtis* me reddere ludo,
Horatii dulces continuando lyras.

h) Conquestus est *Celtis* an. 1497. apud *Sebast. Clamosum*, quod *Grünhoferus* nummulos non mitteret pro victu adolescentum. In epistola ad *Conradum Amicum*, medicum *Graecensem*, scribebat an. 1498., se optare *ut Vindobonae* haberet convictores, quemadmodum *Ingolstadii habuerat.*

i) Sit instar omnium id, quod (barbare quidem, sed amice) monuit, *Erasmus Australis* Benedictinus *S. Emmerami Ratisbonae*, die veneris ante festum Simonis et Judae an. 1494. data ad *Celtem* epistola: *Rogo*, inquit, *affectuosissime, ut, quantum ex vestro pendet posse, curare studeatis, fixus persistere in loco; evagationes, quae potius levitati aut volubilitati animi, quam necessitati adscribuntur, summopere rescindere curetis. Audio enim, non mediocre murmur adversus vos oboriri, imo et obortum esse, quod vix sex septimanas ad plenum lecturae vestrae, ad quam conventus estis, intenderitis, ob hocque posse privari vos ordinaria lectura.*

k) Eo spectat inter ejus epigrammata, quod inscriptum est: *Ad auditores.*

Sunt mihi per paucos praefixa negotia soles,
In quibus, o juvenes, lectio nostra vacat.
Has ego, cum nostram mox sum rediturus in aulam,
Intercisivis suppleo temporibus.
Interea dociles, juvenes, assumite mentes,
Sidera dum nobis prosperiora ferent.

l) Illud Peregrinandi studium tueri consueverat, ut est perspicuum ex diversis ejus opusculis, tum exemplo philosophorum veterum *Platonis* et *Pythagorae* aliorumque; tum ex fructibus uberrimis, qui inde percipiuntur. Eos autem reprehendit, velut ignavos, qui eidem glebae semper sunt affixi. Hinc sequenti epigrammate lusit *in eum, qui se vagum causabatur.*

Una nitens medio mihi stella refulsit in orbe,
 Quae mihi dat varias cernere posse plagas.
Sed tua stella pigro et glaciali cardine torpet,
 Quae jubet ad patrium te residere focum.

CAPUT XXIX.

ITER SPANHEMIENSE.

Longior erat peregrinatio, cui se dedit *Celtis* anno 1494., quo *Ingolstadii* rursus docere coeperat. Profectus est *Spanhemium a)*, ut veterem amicum, celeberrimum abbatem illius monasterii, *Joannem Trithemium* salutaret *b)*. Suscepisse id itineris *feriis canicularibus*, quibus silebant, vacabantque scholae publicae, ex amicorum litteris conjicimus *c)*. *Erasmus* vero *Australis* indicat, perrexisse ad *Lyci Rhenique* plagas *d)*. Fuisse *Basileae* diversatum apud *Hartmannum Eptingum*, illius ecclesiae canonicum, natalium splendore, doctrinaeque laude celebrem, egisseque apud eum jucundos dies plures, prodit ipse *Celtis* scripto in suum hospitem carmine, quo praedicat liberalem illius munificentiam, extollitque peritiam in rebus potissimum astronomicis, cosmo- et geographicis, quibus erat excultus *e)*. Videtur iisdem diebus, quibus *Basileae* consederat, scripsisse illud epigramma *de fonte* circa eam civitatem, qui, dum sereni instant dies, copiosis effluit undis; coelo autem minitante pluviam, siccatur et exarescit *f)*. Eodem re-

ferimus versiculos de *Nicolai de Flüe* diuturno jejunio, quod singulari opi divinae, vel aëri crasso adscribit *g*). *Friburgum* cum diverteret, absens erat noster *Zasius*, qui, datis ad *Celtem* litteris dolorem suum testatus, rogavit, rediturus hac se felicitate bearet *h*). Ut *Friburgi* docendi munus capesseret, peroptavit *Basileensis* academiae medicus, sacrorumque canonum professor *Joannes de monte argenteo;* quod ut persuaderet, mirifice commendavit *Friburgum i*). Hinc contendisse *Heidelbergam*, ut veneraretur coram sodalitatis *Rhenanae* principem, *Joannem Dalburgium*, viseretque litterarios sodales, *Joannem Reuchlinum*, aliosque, ex *Joannis Vigilii* litteris colligimus *k*). *Spanhemium* ut est delapsus ad sodalitatis Rhenanae patronum praecipuum, quemadmodum facilis est conjectura, quod in litteratorum hominum felicitate ponitur maxima: serebantur sermones et confabulationes eruditae de optimis ingenuarum litterarum studiis, auspicatisque progressionibus; de sodalitatis Rhenanae statu ac laboribus sociorum in provehendis melioribus disciplinis, repellendaque barbarie; de codicibus latinis, graecis, hebraicis, aliisque id genus. Ut erat graecarum litterarum cupidissimus *Jo. Trithemius*, a sua dignitate haud alienum esse duxit, ejus linguae elementa praeceptore *Celte* discere *l*). Scripsit *Celtis* in illo secessu quaedam epigrammata, quae inter veterum Christianorum poetarum, praesertim *Sedulii*, *Juvenci*, *Fortunati*, *Hildeberti* et aliorum versiculos adscripta parieti servabantur in *Trithemiano* conclavi, unacum *Celtis* effigie, vivis depicta coloribus *m*). *Ingolstadium* rediisse *Celtem*, viso rursus *Friburgo*, testatum ipsemet facit brevi epigrammate, quod *Zasio* nostro inscripsit *n*), in cujus quoque encomium reliquit oden, propensioris in eum studii et benevolentiae singularis plenam, perennemque amicitiae testem *o*).

a) *Spanhemiensis* monasterii descriptionem, et *chronicon* contextum a *Joanne Trithemio* rursus edidit, unacum aliis ejusdem praeclarissimi abbatis operibus historicis, *Marquardus Freherus Francof.* 1601. f.

b) Habebat *Jo. Trithemius Celtem fratris* loco, quo etiam nomine eum compellavit in epistolis, conjunctione animorum inter eos contracta, stabilitaque similitudine studiorum.

c) Erant quondam in scholis publicis cessationes a praelectionibus publicis tempore messis, aut canicularibus diebus; quod quidem institutum in nostra etiam *Friburgensi* academia obtinuerat. *) Ad quem morem respiciens *Jo. Trithemius* iteratis litteris invitavit, rogavitque *Celtem*, diebus canicularibus ut ad se veniret, promisso liberali viatico. De quibus agemus loco magis idoneo. Erat sane *Celtis Basileae* et *Friburgi* mense Augusto, velut cognoscimus ex epistolis, de quibus paulo infra. Unde inferre licet, in illud tempus hujusmodi iter haud importune referri.

*) Antiquum Morem in academiis *Austriacis* reduxit *Josephus II. Imp.*; sed eundem *Leopoldus II.* iterum abrogavit, et recte. Neque enim est aliud tempus peregrinationibus, venationi, aucupio, et generatim recreandis atque exhilarandis animis opportunius eo, quo fractis aestibus et nondum certis frigoribus *Bacchi* et *Pomonae* munera colliguntur. * R.

d) Aegre ferebat *Erasmus Australis*, *Celtem* feriis litterariis *Ratisbonam* non petiisse, quo devehi secundo flumine fuisset promtius, quam per *Lyci Rhenique* plagas vagari. *Miror*, inquit in ep. ad *Celtem* an. 1494. mense Octobri, *Ratisbonam vobis ita infestam esse; quod solum Lyci Rhenique fluminum partes vestro insideant animo, misellamque illam Norici limitis Ratisbonam, exclusam a tergo relinquitis, cum facilior vobis aditus per defluum Danubii ad nos foret, quam adversis fluminibus ad Lyci Rhenique partes tendere. Sed quid non improbus amor audet!*

e) *Hartmannus de Eptingen*, pervetusta ortus familia, quondam latissime propagata, quae floret adhuc in *Suntgovia*, *studiorum* causa profectus *Parisios*, melioribus disciplinis, praecipue mathematicis ingenium expolivit; inde reversus, in collegium cooptatus canonicorum templi augustioris *Basileae*, in bonas litteras magno ferri animo, nunquam destitit, fautorque fuit et patronus atque hospes hominum litteratorum ad decrepitam usque aetatem. Diem supremum clausit anno 1501. *capituli Basileensis senior. Hartmannum* in vivis superstitem ode panegyrica ornavit *Celtis*, quae est Lib. III. vigesima secunda, incipitque:

Hartmanne priscis nobilibus satus,
Eptinga qua se celsa sub aethera
Attollit, et nascentis ortum
Prospicit ambitiosa Rheni.

Epitaphium quoque scripsit *Celtis* in *Hartmanni* obitum, quod in ejus epigrammatis Lib. III. num. 34. legitur, atque ita habet:

Hartmannus jacet hac *Eptingus* mole sepultus,
Inter canonicos gloria summa viros.
Hospitibus claris hic semper amicus et hospes
Vixerat, et largus munera multa dabat.

Eodem officii genere *Henricus Bebelius* vita functum prosecutus est, elegia scilicet extemporali in *Hartmanni* mortem, et epitaphio, quod eidem posuit, ut videre est in libro *Hymnorum Bebelii.*

f) Fontis in agro Basileensi miram naturam hisce versiculis describit in epigrammatis:

Hoc de fonte velim relegas mirabile carmen,
Cui neque sub toto conspicis orbe parem.
Nempe ubi venturum promittunt astra serenum,
Ebulit, et liquidis effluit altus aquis.
At postquam pluvio constabunt tempora coelo,
Aret, et in latebris conditur unda suis.

g) Nicolaus de Flue, sive *de Rupe*, in *Subsilvaniae* (Unterwalden) natus pago, fama sanctitatis illustris, omniumque celebratus ore ob jejunium singulare, ad superos abiit an. 1487. Paucis post annis, cum *Celtis* Helvetiam peragrabat, insolitam hanc inediam *disjunctive* interpretatur hoc epigrammate:

Ter quinis annis pater hic *Nicolaus* in alpe
Sederat, et nullos ceperat ore cibos: *)
Sive Deo pascente virum; sive aëre crasso
Servata est sancti coelica vita viri.

*) — — Credat Judaeus Apella,
Non ego. R.

h) Inter alia *Udalricus Zasius* ad *Celtem* die 19. Aug. 1494. hunc in modum scribebat: *Gratulor Deo Optimo Maximo auspice, qui nostrae urbi illud divinitatis contulisse dignatus est, qua moenia nostra tuis Musis initiari obtigit. Utinam ea mihi auspicia evenissent, ut tanti hospitis praesentia mihi licuisset frui. Nihil etenim, ut verum fatear, obvenisset tua mihi facie unquam jucundius. Itaque te per*

Apollinem tuum rogo: si tibi itinere Friburgensi remeandum fuerit, me vel voces, vel aggrediare, feliciorem perpetuo futurum, ubi te videro etc. Desideratur haec *Zasii* epistola in collectione *Rieggeriana.* *)

*) Tanto magis admiror, *Klüpfelium* non indicasse fontem, unde hujus epistolae fragmentum hauserit. Equidem inter epistolas ad *Celtem* msc. eam, quamvis omni studio quaesitam, nusquam inveni. R.

i) *Joannes Tunsel*, alias *Silberberg*, latine *de monte argenteo* (Vid. *Athen. Raur.* pag. 105. et 168.) artium, medicinae ac decretorum professor in academia *Basileensi*, 2. Sept. an. 1494. data ad *Celtem* epistola haec habet: „Jam vero tanta humanitate donatus es, ut beatissimus esse viderer, si mihi „*Friburgi* tecum commorandi aliquantisper daretur consuetudo. — — Sed de his „ne plura dixerim: non enim in tuis laudibus versandum duxi. — — Ad id ita„que, quod mecum institui, sermonem conferam: si ad *Friburgum*, quo te cathe„dralis ornet dignitas, anhelare jusserim. — — Oppidum enimvero tam opimum „est, et fertile, ut amoenitate situs, et varietate fructuum, et amplitudine pas„tionis facile omnibus Germaniae locis antecellat. Deinde ex ordinibus homines „ibi adeo gnavi, adeo industrii, ut, si rerum nostrarum utilitatem intuemur, „ipsi ex mortalibus nos immortales effecturi sint. Quodsi tuo studio, labore, „consilio adepti fuerimus; ego, quidquid possum, officio, amore, potestate, auc„toritate, fide, constantia, hoc polliceor, ac defero.“ Hortatur postmodum, ut et sui, et summi Maecenatis *Hartmanni* perpetuo sit memor.

k) *Joannes Vigilius (Wacker) de Sunsheim*, nobilis *Cheruscus*, jurium professor in academia *Heidelbergensi*, ejusque rector an. 1492. *Philippi*, Comitis Palatini, et *Raymundi* Cardinalis consiliarius, *Joanni Dalburgio* et *Joanni Trithemio* conjunctissimus, hospes sodalitatis litterariae *Rhenanae*, conquestus est ineunte an. 1495. in epistola ad *Celtem*, cui erat amicissimus, quod post suum ex *Heidelberga* discessum nihil dederit ad se litterarum. Ex quo perspicuum est, *Celtem* in illa peregrinatione an. 1493. *Heidelbergae* fuisse. Ita vero epistolam orditur: *Suo Conrado, philosopho et poëtae Joannes Vigilius salutem. Quod ego post discessum tuum a nobis nihil litterarum abs te acceperim, satis superque demiror.* In collectione epistolarum msc. ad *Celtem* occurrunt epistolae *Jo. Vigilii* novem ad ipsum. Una, expressa typis, exhibetur inter epistolas clarorum virorum ad *Joannem Reuchlinum.* Reliquit *Celtis* in laudem *Jo. Vigilii* oden singularem, insertam lib. III. ex qua praeclara ejus merita in rem litterariam elucent. Conferendi de eodem *Vigilio Joannes Schwab* in *syllabo rectorum Heidelb.* pag. 77. sq. et *C. C. Wundt* in *programmate de orig. facult. jurid.* P. II. p. 14.

l) *Joannem Trithemium* usum esse in linguae Graecae addiscendis elementis *Celte* praeceptore, tradit *Arnoldus Bostius*, carmelita Gandensis. *Gaudeo*, inquit, in epist. msc. ad *Celtem* an. 1496. *te instituisse in litteratura Graeca communem amicum, Joannem Trithemium, cujus fama jam late vagatur per orbem.* Id ipsum suo testimonio confirmat, gratoque animo palam agnoscit ipse *Jo. Trithemius*: *Habuit autem*, inquit de se ipso in *chron. Spanheim.* ad annum 1489. *duos in litteris graecis praeceptores, sibi invicem succedentes; quorum primus fuit Conradus Celtis Protucius, natione Francus, orator et poeta laureatus, a quo grammatices, et prima graecanicae institutionis rudimenta percepit. Secundus Joannes Capnion, alias Reuchlin, natione Suevus, ex oppido Portzensi oriundus etc.* Adeo quidem celeriter arripuit sermonem graecum, ut sequente anno 1495. par esset latine transferendis *Dionysii Areopagitae* operibus, teste *Jo. Vigilio*, qui cum *Spanhemii* esset dicto anno, comite *Jac. Wimphelingio*, ad *Celtem* scripsit, abbatem totum in eo tum fuisse, ut *Areopagitam* latine loquentem efficeret. *Erat*, ut habet epistola eadem, *graecus abbas, graeci monachi, canes, lapides, arbusta, et totum ipsum monasterium in media Jonia videbatur situm.* In canem *Trithemii*, graeca intelligentem, hoc epigrammate lusit *Celtis* lib. III.

Jam mihi vera fides, *Trithemi*, discere graeca
Germanos, pure et posse latine loqui.
Nam tuus ille canis intelligit omnia graeca,
Quaeque jubes graece, singula jussa facit.

m) Quae de conclavi *Trithemiano* refert *Marquardus Freherus*, operum histor. *Jo. Trithemii* editor, P. I. post praefationem, vitamque celeberrimi abbatis, quoniam *Celtis* noster suas etiam ibi partes habuit, huc transscribenda duximus. „In conclavi *Trithemiano*, verbis utimur *M. Freheri*, quod adhuc integrum „visitur (an. 1661.) in *Spanheimensi* coenobio, ad unum lapidem a *Crucenago* op„pido omni ex parte inscripto, elegantibus litteris, rubris, nigrisque, leguntur „plurima diversorum auctorum, veterum et recentiorum, carmina et sententiae „tam graecae, quam latinae, praesertim *Sedulii*, *Juvenci*, *Fortunati*, *Hil„deberti* episcopi, *Petri de Riga*, *Gualberti Jasulani*, quibus *Conra„dus Celtes* coaetaneus et amicus ejus ista adscripsit:

Conradus Celtes Protucius Poëta:

Aspice versiculos hospes venerabilis istos,
Trithemius posuit quos tribus ecce notis.
Ille vetustatis cultor quantus, vel amator
Linguarum, paries scriptus utrumque docet.

Ejusdem *Celtis* effigies ad vivum coloribus expressa cernitur, his adscriptis: *Conradus Celtis Protucius, poëta laureatus, haec cecinit anno Domini 1494., cum esset hic, ad futurum abbatem:*

Quisque futurus sis abbas, haec carmina nostra
Mente, rogo, memori volvere saepe velis.
Esto pius, clemens, et religionis amator,
*Trithemium*que meum, consulo, disce sequi.

Joannes Trithemius abbas ad successorem:

Aspice: doctorum posui monumenta virorum.
Et quidquid multum vos decorare potest.
Hortor et admoneo, vestigia nostra sequaris,
Post me venturus qui mea tecta reges.

*) Lib. III. epigramm. num. XXXIII *Spanhemio* rediens, et rursus *Friburgum* divertens, ita compellat *Udalricum Zasium:*

Cum sacer ille calor, vatum quo pectora fervent,
Te tenet, et *Phoebus*, *Pieridum*que cohors:
Ergo, rogo, nostras venias cognoscere Musas;
Nam rursus *Celtem Priscia* laeta tenet.

•) Oden *Celtis* ad *Zasium* mancam exhibet *Nicolaus Reusnerus* in *Jconibus virorum illustrium.* Argent. 1590. 8. Noster *Rieggerus* in vita *Zasii* pag. 216. aeque imperfectam ex *Reusnero* retulit. Non possum, quin, qualem lib. III. odarum *Celticarum* num. XXV. reperire est, exscribam:

Zasi, *Friburgi* non minimum decus,
Qua laeta surgit *Priscia* collibus,
Qui vite amicti, nec remotam
Herciniam speculantur atram.

Bacenis illic dicta prioribus,
Sylvae sed *atrae* nomen habens modo,
Qua *Necari* fontes et *Istri*
Perspicuis oriuntur undis.

Urbem beatam hanc sed modo possidet
Maxmillianus, gloria principum
Germaniae, et quotquot renato
Cernit in occiduo orbe Phoebus.

Hic jura nobis optima proferet,
Leges reformans, et veterum bonos
Mores reducet, cum severo et
Omnia pacificabit ore.

Pravis sacerdotum obviet artibus,
Et sacra sanctis moribus induet,
*Romam*que purgabit, vetustum
Saecula dum redient in aurum.

Annus vocabit nunc jubilus virum,
Mutare suetus secula moribus,
Et gloriam, *Germana* tellus
Qua sit adhuc aditura major.

Te Phoebus alto pectore possidet,
Qui culta profers carmina barbito;
Et vatibus cunctis amicus,
Quos rigat amne strepente *Rhenus.*

Oden integram videtur habuisse prae oculis *Franc. Irenicus*, qui versiculos priores strophae secundae citat, indeque conficit, censuisse *Celtem*, secus ac sibi videretur, sylvam *Friburgo* vicinam, non *nigram*, sed *Bacenam* priscis dictam fuisse. Conf. *Irenici Exeges. Germ.* lib. VII. cap. 19.

CAPUT XXX.

PEREGRINATIONES CELTIS ALIAE, QUAE IN IDEM FERE TEMPUS INCIDUNT.

Neque sequentibus annis, quibus fuerat *Ingolstadii* ludo litterario praefectus, peregrinari destitit. Tres potissimum comperimus tum ex ejus epigrammatis, tum ex epistolis amicorum, peractas ab eo tum temporis fuisse peregrinatiunculas. *Primam* quidem suscepit religionis causa. Conflictabatur, dum erat *Ingolstadii*, cum valetudine haud satis commoda. Vertigine capitis laborabat *a*). Ea aegritudine feliciter defunctus, ut supremo Numini ageret gratias, voti solvendi causa *Veterem Oettingam* adiit *b*), antiquo cultu celebrem, et frequentatam magno ex omnibus late regionibus concursu advenarum *c*). Quicunque spectaverit *Celtis* peregrinationem hanc sacram, aut quicunque legerit, quod eam in rem reliquit eucharisticum carmen, *nuncupatum Dei Genitrici*, cujus intercessioni in acceptis ferebat sanitatem sibi restitutam; oppido percipiet, aberrare a vero, qui contendunt, fuisse rejectam a *Celte* invocationem Sanctorum, propptereaque remotum a fidelium societate *d*).

Peregrinatio *altera* erat jucunditatis, quam suscepit ingruente vindemia, profectus in *Austriam*, autumni ferias hilariter acturus apud amicum, sodalemve litterarium, a quo fuerat invitatus. Videtur autem *Ingolstadio* discessisse ante tempus. Excusat enim praecocem abitum, petitque veniam; quanquam, ne quid detrimenti caperent discipuli, antequam abiret, horis extraordinariis penso scholastico satisfecisse videatur. Addit alia, quibus persuadere nititur peregrinandi necessitatem. Si semper, inquit, consedissem ad patrium focum, nec unquam Bavaros destituissem agros; nunc is non essem, qualis sum, tot instructus artibus *e*).

Tertia demum peregrinatio officii erat, ac pietatis. Tenebatur *Frisingae* ineunte anno 1496. *Joannes Dalburgius f), Celtis princeps patronus, pater, educator, frater, amicus, familiaris, comphilosophus*; quibus nominibus sua ad *Celtem* epistola *Wormatiensem* episcopum compellavit *Joannes Vigilius g*). Ut ad se nulla cunctatione interposita veniret *Frisingam*, judiciumque ferret, ac statueret pretium de codicibus antiquis, quos ibi repperisset, rogavit, vocavitque *Celtem* scripta perhumaniter, ac benevolentiae plena epistola: monuitque, ut ferret secum libellos quosdam graecos, quarum praesul erat cupientissimus *h*). Promptum, quo erat *Celtis*, obsequendi studium, quam sibi fuerit acceptum, quantique faceret litteras, et homines litteratos, ut palam declararet, excedere episcopus *agro Norico* noluit, nisi viso prius *Ingolstadio*, salutatoque ibidem suo *Celte*, una cum aliis illius Athenaei Musarum sacerdotibus. Quod, quam honorificum fuit *Celti*, ejusdemque collegis: tam erat eorum patrono atque Maecenati gloriosum. Quo fuerit modo exceptus *Ingolstadii* ornatissimus hospes, colligere est ex his, quae eam in rem per litteras monuit *Joannes Vigilius* praesuli intimus. Hortatus autem est *Celtem* in primo adventu hospitem mox roget, apud se ut divertat. Ingresso aedes exhibeat ultro ante omnia spectandam, lustrandamve supellectilem librariam, paratumque habeat munusculum litterarium, antiquum libellum graecum, quem Xenii loco hospiti offerat; cui, quoniam graecis unice delectaretur, dari acceptius nihil posset. Curet, publico academiae nomine ut salutetur: mallet enim cognoscere princeps viros doctos illius Athenaei, cujus ipse quondam erat alumnus, et *experiri philosophorum Noricorum mores*. Illis praeterea, quos praesul haberet comites, viros integerrimos, *natura philosophos atque moribus*, ut latissime pateant omnia in suis aedibus, *Celtem* commonuit idem *Vigilius*, peroptavitque, ut sibi adesse liceret, *in re culinaria, et aliis, quibus opus esset, curandis domesticis ministeriis i*). Quae quidem omnia diligentius a *Celte* curata esse, quis dubitabit? Ut perpetua ejusce rei memoria constaret apud posteros, oden reliquit *Celtis*, inscriptam: *Ad Musam suam, dum episcopum Wormatiensem hospitio reciperet k*).

a) Epigrammate peculiari describit morbum, quo vexabatur. Excusat interruptum praelectionum publicarum cursum, petitque veniam a discipulis, carmine inscripto: *De vertigine capitis sui*; *) estque hujusmodi:

Concava testa meum cerebrum vertigine volvit;
　　Et caput in gyros concitat ire vagos:
Luminibusque meis mihi currere cuncta videntur,
　　Ceu rota, quae rapidis exagitatur equis.
Et mea planta nequit firmum consistere gressum:
　　Pesque labat totum corpus ad ima trahens.
Et malesana meo prostravit membra grabato,
　　In quo non placidos cogor habere dies.
Sive frequens studium, seu lectio sedula morbum
　　Moverat, aut variis carmina scripta modis.
Ergo agite, o juvenes, quibus haec patientia nota:
　　Ferte, precor, vacuas in mea damna scholas. **)

*) Epigr. 33. Lib. IV. R.

**) Animadversione forte non indignum videtur, haec describentem jam inde a biennio, eodem, quo *Celtis* affligebatur, malo adfici, neque tamen de voto ejusmodi, quod ipsi placuit, nuncupando hactenus cogitasse, aut nunc cogitare. Nunquid enim, ut cetera mittamus, ipse Servator docuit nos, *solum Deum patrem nostrum, qui in coelis est*, orare primum: *Fiat voluntas tua;* deinde: *Libera nos a malo*; aut quod aeque bonum est, primum *hoc*, deinde *illud?* R.

b) Huc spectat epigramma aliud *ad auditores suos*, (eod. Lib. IV. epigr. 36.) quibus denuntiat, religionis causa iturum se esse *Oettingam;* neque dubitare se, quin haud aegre ferant peregrinatiunculam sacram: maxime, quod horas octo praelectionum publicarum sinistra valetudine impeditas ea, qua par est, fide jam resarserit. En pii poetae hanc in rem sacrum elegidion:

Octavas vobis, juvenes, neglеximus horas,
　　Quas quia praeterito tempore reddidimus:
Idcirco dabitis veniam mihi jure petenti,
　　Ut solvam sanctae Relligionis iter.
Candida Bavaricis rutilant ubi tecta sub oris
　　Virginis intactae, queis sacra signa micant,

Quae pia vestivit prisco mea membra vigore:
Et caput in gyro noluit ire vago.
Quapropter meritas sibi pango carmine laudes,
Sanctaque cum nostro munere templa peto.

c) In epigrammate, quod sequitur XXXVII. cujus est haec inscriptio: *In aede Oettingensi divae Virgini soluta devotio*, exponit pluribus, quantum undique tum aetatis fuerit populorum concursus ad sacram hanc aedem. Postquam enim affirmaverat, esse apud Germanos templa plura, Deiparae Virginis dicata honoribus: ad *Oettinganum* se convertit, de quo ita canit:

Inter quae totum volitant jam nota per orbem,
Quae tibi Bavarico structa superba solo.
Vota, quibus solvunt, et munera clara reponunt,
Germani, *Galli*, *Pannoniique* viri.
Illyris, et *Latio* petit haec sub sole creatus,
Sarmata, et extremo *Dacus* ab oceano.

d) Ejus quidem erroris accusatum *Celtem*, invenimus apud *Flacium Illyricum* in *catalogo testium veritatis*. Sed de eo dicetur alio loco pluribus. *) Illud solum *nunc* adjungimus, rectius affirmari, *nimium* potius in ea re fuisse *Celtem*, si votivi carminis verba rigide accipiantur. **)

*) Infra cap. XLIII. ubi de *Celtis religione* agitur. R.

**) Recte *nimium*, nisi addas: *Pictoribus atque poetis* etc. Etenim a vana illa superstitione, quae tum omnium fere animos occupaverat, neque *Celtem* alienum fuisse, abunde commonstrant, quae sequuntur:

Ast ego, quas meritas solvam tibi carmine laudes,
Qua duce vita mihi tota peracta fuit?
Te duce non minimas, Virgo, cognoscimus artes;
Queis mea in orbe volans fama perennis erit.
Te duce pontificum, regumque et Caesaris aulas
Novimus, illarum et clarus amicitia.
Te duce jam toties tacitos superavimus hostes,
Quique meum nomen commaculare student;

Quoque magis mea facta premunt, mea surgit in orbe
Gloria, quae vacuos despicit arte viros.
Ast ubi, Virgo, meam nuper vertigine testam
Infirmam quererer, *te duce* sospes eram,
Moxque mihi firmo sistis vestigia gressu,
Ut videam ex votis jam tua templa meis.
Ergo age, jam precibus faveas certissima nostris,
Et sistas dubiam per tua dona ratem. R.

e) Quae de altera hac peregrinatione retulimus, ex epigrammate hausimus XLIII. quod in dictorum confirmationem lubuit huc transcribere:

Ad academiam Ingolstadiensem.

Venerat a charo mihi dulcis epistola amico,
Quae monuit subito, se quod adire velim.
Ut secum placidos autumni carpere fructus
Vellem, et ventosis musta probare cadis.
Hinc secum Latias, Grajasque revolvere Musas,
Et canere ad resonam carmina nostra lyram.
Quapropter, juvenes, veniam date, poscimus, aequam,
Lectio cum vobis nostra resarta modo est;
Ut possim charum modo laetus adire sodalem,
Explere et placido munus in officio.
Intereaque meam siquis vult carpere famam,
Me dicens nullo posse manere loco;
Te rogito, nostras, lector, qui diligis artes,
Haec referas linguae carmina nostra vagae:
O nimium felix, priscorum more sophorum,
Qui potuit varias laetus adire plagas,
Ut videat populos varios, gentesque per orbem,
Qua valeat patrio doctior esse foro.
Si *Celtis* nostra semper latuisset in urbe,
Et nunquam Bavaros destituisset agros:
Non tot jam vobis liquisset candidus artes,
Quas petit a variis integer ille plagis.
Talia ventosae date Celtica carmina linguae,
Laetus in Austriacos ille ubi pergit agros.

f) Causa itineris, quod *Joannes Dalburgius Frisingam* obiit, indicatur in epistola *Joannis Vigilii.* Post mortem nimirum *Frisingensis* episcopi, electus est in ejus locum *Rupertus, Philippi comitis Palatini* filius, admodum juvenis. Ut illius ingressus, cum possessionem episcopatus erat aditurus, foret honorabilior, proficiscenti comes a patre additus est *Wormatiensis* episcopus.

*) *Philippus* (n. an. 1448. Palatinus Elector an. 1476. m. an. 1508.) teste *Trithemio* (ep. 32. lib I.) omnium doctorum virorum amatorem se praebuit, Princeps in omnes pius, mansuetus ac munificus. *Rudolphus* quoque *Agricola* (*Lucubrat.* p. 206.) de eo scriptum reliquit: „Principem eum fuisse aequi-„tate, justitia, moderatione, clementia, religione, omni vitae morumque sua-„vitate, et omni principis privatique hominis laude consummatissimum, qui „quum litterarum haud rudis esset, et eruditis sermonibus magnopere delecta-„retur, aulam habere volebat litteratis hominibus ornatam." Cf. *Burckhardi* comm. de *fatis L. L.* P. I. pag. 231. et P. II. pag. 231. Vid. etiam, quae diximus ad *not. k.* **) R.

g) Confer *Jo. Vigilii* epistolam, quam paulo post (not. *i*) referemus integram.

h) Summi apud Germanos, renascentibus bonis studiis, atque incomparabilis viri, in rem litterariam merita dignissima sane sunt, quae proferantur in lucem, et ad omnem posteritatem transferantur, tum grati animi, tum imitationis causa. Quapropter nostrarum partium esse duximus, illius ad *Celtem* epistolium, quod quibusdam abhinc annis, dum adhuc numerabatur inter anecdota, *G. W. Zapfio* miseram; a quo ad illustrandam *Jo. Dalburgii* vitam *) in apricum prolatum est, insertumque opusculo: *Nachtrag zu Joh. v. Dalberg. Zürich. 1796. 8.* iteratis typis recusum publicare, hisque subjungere:

„*Doctissimo, atque eloquentissimo viro, litterariae sodalitatis primipilo C. C. P. L.* „*in Ingolstadt rhetoricam profitenti Joannes Camerarius D. G. Episcopus* „*Wormatiensis S. P.*

„Ego, doctissime *Conrade*, inter *Noricos*, nescio, quo genio perlatus, his sum „diebus versatus, et in *Frisingen* quatuor adhuc dies moraturus, vehementi quo-„dam tui desiderio teneor. Sunt enim libri hic vetustissimi, quos revolvere, et „contueri, ut animus ardet, publicis et gravissimis occupationibus cohibeor. „Quare te pro litterarii ordinis sodalitio requirimus, ut, posthabitis rebus omni-„bus, ad nos protinus, impensa nostra, convoles, Daedali usus pennis. Quando-„quidem maturato opus, si nos convenire velis. Te exspectamus. Et tu vale.

„Libellos aliquos graecos pera tua conferat. Iterum vale. Scribebam propere, „sub divo stans: ut nec animus, nec calamus pro exarandis litteris aptus ades„set. *Frisingen*, anno 95."

Cum ex monumentis authenticis, quae refert *Carolus Meichelbeckius* pag. 282. Tom. I. *histor. Frising.* manifestum sit, cepisse *Rupertum* illius episcopatus possessionem mense Januario an. 1496., verisimilius statuitur, in nota anni 95. *Dalburgianae* epistolae addita, cubare vitium chronologicum, culpa descriptoris.

*) Aug. Vind. jam an. 1789. editam: Ueber das Leben und die Verdienste *Johann von Dalbergs* — ein Versuch von *Ge. Wilh. Zapf.* pagg. 84. maj. 8.

i) Quaecunque enarravimus, tum de studio singulari, quo *Jo. Dalburgius* complexus est *Celtem;* tum de testificatione honoris, quo erat excipiendus *Ingolstadii*, ut sint testatiora, integram *Jo. Vigilii* epistolam, cujus partem magnam, me largiente, publicavit *G. W. Zapfius* in *supplem. biographiae Dalburgicae*, quin his adnecteremus, tanquam probationis codicillum, impetrare haud potuimus. Ita vero sese habet:

„*Joannes Vigilius C. C. suo S. D.*

„Voluit Princeps noster serenissimus, quo honestior esset profectio, primusque „egressus, immo ingressus episcopi *Phrisingensis*, ut praesulem nostrum *Vangionum* sibi haberet comitem. Praesul vero suscepta provincia constituit, ad te, „tuumque gymnasium proficisci, partim tui honoris gratia (quod nota: ita enim „mihi dixit in aurem meam) partim, ut mores tuorum philosophorum *Noricorum* „experiretur. Aliis enim longe aliter visum est: púta, ut alia via ascenderetur. „Sed merito jure votum praesulis praevaluit. Curabis ergo, ut, quod jam tuum „erit officium, *principem, patronum, patrem, educatorem, fratrem, amicum, fami„liarem, conphilosophum tuum;* verum et nostrum, humaniter suscipias, liberaliter „tractes, et cum honore tuo, suo et nostro eum dimittas. Brevi apud te actu„rus: ideoque ordinabis, ut honestius omnia fiant. Videtur autem mihi non in„consultum, ut et communiter ab universitate tua publice, si fieri potest, dignum „enim esset, suscipiatur. Quod si negligentia, aut incuria tuorum omittetur, „fac saltem, ut tu non ingratus dijudiceris, et immemor suorum in te beneficio„rum. Ipse primum petet visere librariam tuam; quam ei prima sponte exhibeas: „curaque, ut in omnibus eum praevenias: facque, ut omnes, quorum potis es, „accurrant, offerant sese, dedant, exhibeant. Et in primis effice, ut ipse cum „aliis quibusdam philosophis, quos secum habet, aedes tuas ingrediatur. Tibi,

„si fieri potest, cohabitent. Omnia eis latissime pateant. Sunt enim omnes viri „dignissimi. *Rysicheus* primum tibi notus est. Dehinc forsitan alii duo, *Fri-„singenses* honestissimi viri: dehinc ingenuus quidam philosophus, natura et mo-„ribus, dictus *Silberberger*, dives ecclesiasticus; ut tuus *Tolhopf (Jo. „Tolophus)*, episcopo vero ut frater conjunctus. Habes nunc, quod velim. „Volo enim tuum honorem, tuorumque decus; et deinceps, ut meritissimus „est, et praesulis nostri. Exple ergo in hoc et tuum et meum animum. Uti-„nam tibi adessem in curanda re culinaria, et alia, si opus esset, ut obire pos-„sem domestica ministeria in domo philosophica. Sed fieri non potuit. Ut ta-„men tecum sim saltem per meos; habebis famulum meum, cum quo latissimum „confabulandi campum ingredi poteris. Dicet hic tibi omnem statum meum, et „suum. De beneficiis, de quibus alias ad te scripsi, licet non executio omnis „facta sit; nisi tamen propediem, Deo volente, moriamur, praesto erunt omnia. „Tu vale et triumpha, feliciterque vive. Mihi inter angustias solitas de pia gra-„tia dei tranquillus animus est. Fac ut idem tibi persuadeas. Ego enim philo-„sophus fieri et esse volo, vita plus, quam ingenio. Raptim feria 6ta. post „Luciae 96 *).

„De domino *Johanne (Trilhemio)* nondum recepi responsum ad litteras „tuas. Sed sis bono animo: et ei ad nundinas futuras responde. Iterum vale.

„Fac, ut donatus abs te recedat praesul aliquo libello graeco. In hoc enim „vehementissime delectaretur: quia totus Graecus est. Est consilium meum, si „nihil domi habes, quo carere poteris sine gravi jactura tua, offer ei ex officina „*Joannis Rymanni*, quidquid id sit, lectu et visu dignum. Rescribe mihi „processum, si potes. Vale iterum, milliesque vale. Inter alia si habes rescrip-„tum vocabularium *Ciceronis* de singulis officiis, quem apud abbatem *Trithe-„mium* tibi scripsisti, fac, ut ejus copiam habeat episcopus. Eum enim sitit „et desiderat. Quem si facile ex te habebit: habebis tu e diverso multo faci-„lius et liberalius *Philostratum* rescriptum; quem ex me postulasti. Iterum „vale."

*) Cum honoribus S. *Luciae* sacer sit dies XIII. Decembris: sequitur, non scriptam esse hanc epistolam anno 96., sed 95. Siquidem hisce litteris *Vigilius Celti* significaverit futurum *Joannis Dalburgii* apud *Frisingenses* et *Ingolstadienses* adventum. Et supra jam monuimus, retulimusque ex documentis indubitatis, *Rupertum*, cui erat comes adjunctus Vangionum praesul, anno ineunte 1496. Januario mense fuisse *Frisingae*, ut illius episcopatus caperet possessionem.

k) Ode XVIII. lib. III. incipit hunc in modum, alloquens Musam, ut omnia domi praeparet ad digne excipiendum hospitem:

> Age, nostris propera, o Dea, tectis:
> Venit hospes mihi enim *Vangionum* Prae-
> Sul: et omnem nitidus pertrahet ad
> carmina noctem.
> Tua (sua) tersis facies stet, rogo, libris,
> Nitidam quis valeat cernere frontem.

His, quae monuit *Celtem* de adventu' *Joannis Dalburgii Jo. Vigilius*, fere similia sunt, quae ad eundum *Celtem* de argumento eodem perscripsit *Jacobus Dracontius*, *) quae cum in laudem cedant doctissimi *Vangionum* episcopi, testatumque faciant viri summi incredibilem in studia litterarum, earumque cultores amorem: quaedam excerpere hinc lubet, atque huc referre. „Quod erat, „inquit *Dracontius*, apud me primo tibi scribendum de sapientissimo nostro „antistite *Vangionum*, qui ob singularem, quam in te gerit benevolentiam, per „urbem potius, quam tu incolis, atque inhabitas, *Frisingensem* episcopum ducere „maluit, quam aliorsum in suum ducatum immittendo sufficere. Non te medio„criter diligit Germanorum hic philosophorum princeps, facile omnium eruditissimus, „Musarum diversorium christianarum, totius philosophiae maximum solatium, tutum„que omnis disciplinae praesidium. Fac, quaeso, nostrum hunc patrem, et decus „mirificum hilariter, et non sine pulchra honestate suscipito, et accumulatissimo „honore, et poetica magnificentia defensorem prosequere, ut et tui studii *Ingol„stadiani* gymnosophistae laetissimo, clarissimoque intuitu hunc esse intelli„gant, quem *tota* sibi *sodalitas litteraria Germaniae* praecipue *principem* haud in„juria doctissimum delegit; quem simul colunt, carminibusque dignissimum judi„cant; in cujus cura, et sollicitudine litteraria officina tota pendet. Vellem huic „magnifico, et illustrissimo philosopho totus familiaris adhaereas. Vellem totam „philosophiae *Ingolstadiensis* scholam in ejus gloriam et decorem promoveas. „Perpetuum, ut nosti, monumentum praesulis animus blandiusculus inde sibi fa„brefaciet **). Vale, mi praeceptor, et tuum *Dracontium* ama . . . . Ex *Hei„delberga* 17 Kalendas Januarii 96." (*rectius* 95; ut supra monuimus ad *Joannis Vigilii* epistolam; quae simili laborat amanuensis vitio, anni perperam subscripti errato chronologico.)

*) Quis fuerit *Jacobus* ille *Dracontius*, vix quidquam reperies apud biographos, qui de hominibus doctrina claris agunt. E penu nostro nonnulla de illo proferimus: 1) fuisse ordinis Praemonstratensis alumnum; 2) vixisse *Heidelbergae*; 3) discipulum fuisse *Celtis*, graece et latine doctum: 4) nec con-

temnendum poetam: 5) easque ob dotes *Joanni Dalburgio* gratissimum: 6) suppetere in codice epistolari tres ejusdem epistolas scriptas ad *Celtem*. (Addo: *Jacobi Dracontii panegyrin* ad Germaniae juventutem in laudem *Reuchlini* conscriptam, et subjectam *scenicis progymnasmatibus*, id est comoediae, quae an. 1497. Heidelbergae auspiciis *Reuchlini* in ipsis aedibus *Dalburgii* ab adolescentibus quibusdam studiosis acta, et anno insequenti Basileae typis edita est, integram exhiberi a *Burckhardo* de *fatis* L. L. P. II. pag. 369. R.)

**) De *Joanne Dalburgio Camerario* qui plura cognoscere voluerit, *Zapfium* et scriptores ab eo laudatos adeat. Nos satis habemus, his, quae auctor de summo viro praedicat, pauca adjicere. Natus est *Oppenhemii* in Palatinatu an. 1445. antiquo genere, unde ad nostram usque aetatem viri prodiere cum eruditione, tum dignitate praestantes, et de re publica non minus, quam ecclesiastica optime meriti. Eum ad litterarum studia primum incubuisse *Heidelbergae*, vero simile est; illud vero certum, in Italia, *Ferrariae* comprimis, non solum in tractandis humanioribus litteris perseverasse, sed et philosophiae et juris prudentiae sedulam navasse operam, posteaque *Ingolstadii* jurium Doctorem fuisse renunciatum. Inter canonicos ecclesiarum cathedralium *Moguntinae*, *Trevirensis* (vel, ut alii tradunt, *Spirensis*) et *Wormatiensis* relatus, jam tum homines eruditos, eosque inter *Rudolphum Agricolam* et *Joannem Reuchlinum* caritatis benevolentiaeque officiis cumulate adeo prosecutus est, ut aedes ejus tutissimum ipsis praebuerint asylum. Cum simul apud *Philippum*, Com. Palatinum Electorem, *Cancellarii* munere fungeretur, toto pectore in hoc elaboravit, ut elegantiora studia in Academiam *Heidelbergensem* inferret, eaque ab indoctis incultisque veteratoribus defenderet. Sed et cum an. 1482. electus esset episcopus Wormatiensis, *Philippum* Principem rebus consiliisque adjuvare non destitit, quippe qui et legationem suscepit Romam, ut Electoris nomine *Innocentio* VIII. pontificiam dignitatem gratularetur, et unacum *Rudolpho Agricola* plurimum contulit ad ornandam atque amplificandam celebrem illam bibliothecam, quam postea (anno 1623.) Romam migrasse constat, et non ita pridem aliqua saltem ex parte quasi jure postliminii fuisse recuperatam. Sed et ipse habebat bibliothecam bonis rarisque libris locupletem *Ladenburgi*, ubi, turbis ex antiqua lite inter cives Wormatienses et collegium cathedrale obortis, domicilium collocaverat. Nondum sexagenarius rebus humanis ereptus est an. 1503. R.

CAPUT XXXI.

SECESSUS HEIDELBERGAM TEMPORE PESTIS.

Grassabatur apud *Bojos* anno 1496. *a*) dira pestis, qua cuncta fere *Bavariae* oppida correpta fuerant, praeter *Ingolstadium*. Ne, indies latius serpente contagione, involverentur, veriti *Ingolstadienses*, salutem in fuga quaerere constituerunt *b*). Dilapsi itaque sunt tum doctores, tum discipuli illius academiae in diversas terrarum plagas. Qui remanserunt, periclitati de vita, ac non pauci praefidentiam nimiam morte luerunt *c*). Communis periculi, aut cladis imminentis evitandae causa secessit *Celtis Heidelbergam d*), sodalitatis litterariae sedem praecipuam, *Joannis Dalburgii*, fautoris sui studiosissimi, veterumque amicorum, *Joannis Capnionis*, *Joannis Vigilii*, *Jodoci*, *Theod. Rysichei e*) aliorumque domicilium; hospitium vero gratissimum *Jo. Trithemii* atque *Celtis* potissimum, quos sociaverat similitudo studiorum. Adjunxit tum temporis sibi novas bonarum artium symmistas, quos inter libenter commemoro *Jacobum Wimphelingium*, suo satis nomine notum *f*). Quam jucunde, beateque vixerit in illo hominum eruditorum coetu, facile intelliget, qui *Celtis* genium parumper noverit; cui nihil magis in votis erat ac deliciis, quam versari cum viris doctrina claris, confabulari de rebus litterariis, discere proficereque in melius, ac provehere latius apud Germanos scientias et artes optimas. Erat itaque in illo otio minime otiosus. Unum quidem, quod id temporis *Heidelbergae* ab eo gestum esse comperimus, praeterire hoc loco non possumus, videlicet docuisse eum in illo secessu *Philippi*, comitis *Palatini* filios graecas, latinasque litteras, quae res patri eum in modum placuit, ut vergente ad finem anno, cum remitteret in *Bavaria* contagiosa lues, *Celtis*que ad solitas ibi praelectiones post *Epiphaniae* festum prose-

quendas *Ingolstadium* revocaretur, apud academiam illam preces interponeret, ut ob filiorum suorum institutionem aliquo adhuc tempore *Celti* abesse *Ingolstadio* liceret; quin sui stipendii dispendium pateretur, aut diminutionem aliquam: pollicitus, eum, cum redierit, majori diligentia compensaturum, quod absentia neglectum fuerit *h*).

a) Sequor ductum epistolarum msc., quanquam non ignorem in actis Academiae *Ingolstadiensis* pag. 45. T. I. ad annum 1495. referri illam contagionem. Fors annus 1495. initium ei dedit, an. 1496. continuatae.

b) Quae peste imminente, agitaverint consilia, ceperintque *Ingolstadienses*, prodit *Sixti Tucheri*, jurium professoris, epistola tum temporis *Ingolstadii* exarata ad *Celtem:*

Sixtus Tucher S. D. C. C. sibi amicissimo.

„Non te praeterit, *Conrade* amantissime, quod salutis naufragium anceps subi-„turi sumus, nisi tempestati, quae huic urbi imminet, cesserimus. Existimavi „igitur, fuga salutem parandam esse, quod et te facturum arbitror. Et quia, „an et quando redituri sumus, incertum est: velim libellos, quos tibi commo-„davi, mihi nunc reddas, ut cum alia mea biliotheca parem futuri eventus nostri „sortem sustineant, cum nec eis interea sis usurus. Quodsi aliquando felicibus „fatis usi, ut sperandum est, convenerimus, eos et alios, qui mihi sunt, pro „tuo arbitrio habebis. Non tamen dejecti adeo sum animi, nec tanto timore per-„culsus, ut illico abeundum mihi censuerim; sed exspectatis aliis quibusdam fu-„turis diebus, donec et alios fugam maturare intellexero, si qua forte interea „contagionis mitigatio accideret, quam tamen sperare vix audeo. Quibus enim „meritis hac singulari felicitate prae ceteris Bavariae urbibus, quae omnes paene „infectae sunt, haec usura sit, non video. Communis ergo fortuna et ferenda, „et ope divina superanda erit. Vale. Datum *Ingolstadii* Anno 96."

c) Annalium academicorum editor p. 45. T. I. refert, calamitosum fuisse Academiae annum (1495) quoniam *peste interierunt doctores quatuor, Licentiatus unus, Magistri duodecim, Baccalaurei et artium studiosi complures.*

d) Ivisse *Celtem Heidelbergam*, ibidemque quaesivisse salutis portum, et invenisse, palam fit ex epistola *Philippi*, Comitis *Palatini*, de qua paulo infra. Dolui, labore irrito opuscula *Celtica* me evolvisse, ut quid reperirem,

quod illam fugam, secessumque *Heidelbergam* attineret. Mirari profecto subit, nihil eam in rem a *Celte* nostro esse conscriptum; maxime, quod pestilentia materia sit poetarum, et solemne argumentum, in quo ingenii vires, nervosque contendant, velut inductione veterum, Graecorum Latinorumque poetarum confirmat *Phil. Beroaldus* in libello *de pestilentia.*

e) In selecto illo sodalium *Heidelbergensium* choro primas facile tenet *Joannes Vigilius*, de quo supra. Vocat eum *Celtis* in oda, (III. 4.) *sodalitatis litterariae Rhenanae hospitem.*

f) Optasse *Celtem*, unacum *Jo. Trithemio* et *C. Leontorio* videre *Heidelbergae Wimphelingium*, qui tum *Spirae Nemetum* morabatur, eumque provocasse, ut dexteram porrigeret amicitiae et societatis, ex ipsis, quas *Wimphelingius* an. 1496. (rectius 1497.) pridie nonas Januarias (id est IV. Jan.) ad *Celtem* dedit, litteris conficitur. His enim utitur verbis: *Quid est, quod me cum Abbate (Trithemio) et C. Leontorio, viris praestantissimis, optavistis tandem videre?* *) — — *Quid inter philomelas graculum, inter falcones nycticoracem vel jucundum vel utile quidquam afferre posse sperabatis? Ego is sum, qui et doctrinae et morum praecepta, in vestris coetibus conclusa, debeam amplexari.* Etsi vero oblatum sibi honorem modestiae plenis verbis vir integerrimus visus sit recusare: mox tamen re ipsa praestitit, quae sunt sodalium. Misit enim *Celti.*

1) *Hecastichon cum sua explanatione in barbatum Ducem, apud quem non sunt Maecenates.*

2) *Sebastiani Brant* opusculum de *monstro bicorpori*, in agro *Wormatiensi.*

3) Ejusdem generis *Quaterniones Argentinae* impressos.

4) Carmen *Sebastiani Brant* de quodam vaticinio *miri augurii congregationisque falconum.*

5) Laudat, et posteaquam transscripserit, *Celti* remittit *Archilogicum*, adornatum a *Celte*, dicatumque *Vangionum* episcopo.

6) Dolet, quod in promptu non habeat, frustraque apud bibliopolas *Spirenses*, ac *Druidas* quaesiverit, quod *Celtis* desideraverat, carmen *Sebastiani Brant* de *foedere Regis et Romani Pontificis, Italorumque perfidorum, principi Vangionum nuncupatum.*

7) Refert, *carmen de Liga illa magna* reliquisse se *Argentinae*, cum monumentis aliis. Quid autem de illa *Liga* sentiat, hoc adjecto tetrasticho exprimit:

Dux Ligurum *Marcus*, Romana potentia *Gallum*
Vincere conclusis non potuere locis.
Quae spes esse potest, Turcum prosternere? *Gallos*
Itale te pudeat non tenuisse leves!

8) Nuntiat, in quo tum opere conficiendo versaretur. *Ego*, inquit, *jam occupor in castiganda historia Othonis Frisingensis... O utinam et alterum habeamus exemplar, magis castigatum! Tu de hoc cogitabis. Nostrum enim non est latinum multis in locis; sed plenum ubivis barbarie, mendis, ineptiis etc. . . Vale tu et noster Vigilius, Jadocusque, et Rysicheus, et triumphate feliciter. Ex Nemeto pridie Nonas Januarias* **).

Id genus epistolas, quibus quidem similes in hac nostra collectione non paucae occurrunt, dignas esse, quae in dias luminis auras integrae proferantur, nemo rei litterariae amans diffitebitur.

*) Ambigue haec esse dicta, non diffiteor. Caeterum *Jo. Trithemium Heidelbergae* tum non fuisse, conjectare licet ex fine epistolae; ubi inter eos, quibus jussit salutem dici *Wimphelingius*, *Abbatis* nomen non comparet.

**) In eadem epistola de bonorum librorum penuria et sacerdotum ignorantia conqueritur *Wimphelingius*. „Impressores, inquit, et bibliopolae nostri nihil elegantis habent; sola *Verborum Composita* et *Sermones: Dormi secure*, „vendunt, quibus rurales sacerdotes fallant, ceteraque id genus. Sacerdotes „nostri vino magis et Cereri coacervandae attenti, si quid emunt, id vel „in corpus proprium, vel in ornamenta muliercularum suarum convertatur, „necesse est: calceos, pepla, vestes pelliceas. De libris nihil ad nos, nis „forte libros emamus *Horarum*, quos habere cogimur inviti, pro uno florenum distribuentes.“ R.

g) Integram reddemus ex codice epistolari msc. *Philippi Palatini* epistolam, non uno nomine memorabilem, in Appendice N. III.

CAPUT XXXII.

REDITUS INGOLSTADIUM *CELTI* TRISTE ET INAMOENUM.

Confidere oportet, ut Princeps Elector promiserat, *Celtem*, quem ad finem usque Januarii apud se retinuerat, paulo post, ut fidem fecit, dimisisse. Quare existimandum est, rediisse eum mense Februario *Ingolstadium*, ut interruptum docendi cursum novis reassumptis viribus prosequeretur *a*). *Ingolstadium* genio suo minime arrisisse, neque libenter se in ea civitate versatum, peculiari Oda cecinit *b*). Sugillat victum familiarem, *caules* atque *rapas*, tenuemque *cervisiam*, humorem aquis vicinum. Conqueritur de loci situ inamoeno. Non occurrunt, inquit, vicini montes collesve vitiferi, neque dulce sibillantes rivi, aut flumina opacis vestita ripis, quae jucundam intuentibus speciem praebeant; quales quidem delicias a rapaci *Danubio* frustra quis exspectaverit. Ode alia aliam addit rationem, cur fastidiverit *Ingolstadium*. *c*) Regnat, inquit, *Ingolstadii* femina praepotens, jurisconsulti uxor, cujus ad nutum gererentur omnia tum in aula Ducis, tum in gymnasio. Locat ea magistros, ordinat lectiones, distribuit laureas, et insignia doctorum. Amat munera, quibus delinita conferret gratias. Quam quicunque sibi propitiam non habuerit, ei metuendum de exilio. Apud hanc imperiosam dominam parum valuisse *Celtem*, integrum hoc carmen satis superque declarat, quod quidem hac exclamatione concludit: *O docta Norici Ducis gymnasia, quae tanta vexat bellua!*

Non ignoramus, longe aliter, multoque magnificentius de *Ingolstadio* sensisse *Philomusum*, qui *Celti* in munere tradendilitteras amoeniores apud *Ingolstadienses* proxime successit *d*). Utri habenda fides? *Celti* an *Philomuso?* Judice *Horatio*, neutri. Uterque enim poeta. Et hic et ille exagge-

rasse videtur rem plus aequo, verique limites transiliisse, quemadmodum familiare est pictoribus atque poetis, teste Venusino.

a) Dum auctoritate tabularum, ac testium destituti sumus, quod verisimile est, ponimus; neque dubitamus, et si serius ad suos reversus sit *Celtis*, eum stipendii parte nulla fuisse frustratum ab *Ingolstadiensibus*, habita ratione precum, quas *Palatinus* Comes pro ipso interposuit.

b) Occurrit satyricum hoc carmen inter Odas *Celticas* Lib. II. 26., inscriptum: Ad *Ingolstudenses* (sic) *cur eos reliquerit*, incipitque: *Autumno rapas dum colligis, et nisi caules etc.*

Rapophagorum vox hybrida *), quae auctore *Celte* conficta creditur, nedum apud ipsum, sed etiam in epistolis sodalium crebro est obvia. Quin *Celtem* ipsum, dum *Ingolstadii* adhuc tenebatur, eo nomine per jocum salutarunt, appellando *Rapophagum.*

Refert perperam *Jac. Bruckerus* pag. 130. *Ehrentempel,* hoc *Celtis* carmen ad omnimodam ejus discessionem a gymnasio *Ingolstadiano*, sine animo redeundi ad prius officium. Constat enim, ea profectione potissimum designari iter, quod tempore feriarum suscepit ad partes *Rheni*, et *Joannem Trithemium*: quo spectant posteriores versiculi, quibus ode clauditur:

Idcirco placidi repeto nunc littora *Rheni*,
    Bacchi quae pia munera sudant.
Ingenii vires qui fert, et pectoris artes,
    Laetitiam et potoribus auget.

*) E *latina* voce *rapa* et *graeca* φαγειν composita. R.

c) Odae alterius Libr. Epod. H., qua insectatur mulieris ambitionem, dominandique libidinem ac πολυπραγμοσυνην, hujusmodi est exordium:

Quidam poetae non amicus integer
    Et *Fontulani* *) filius,
Uxore cujus plena sunt gymnasia,
    Ducisque tota curia,
Locat magistros, lectiones ordinat,
    Donatque baccis vertices.

*) *Fontulani* nomen fictum arbitramur; quemadmodum *Ortulani*, quod in codice msc. *Norimbergensi* legitur.

d) *Philomusum* si audis, nullum est in Germania gymnasium, quod in comparationem venire eum *Ingolstadiensi* possit. De commeatu quidem, atque situ disserens, „in agro, inquit, nostro Bavarico Cererem copiosissimam habes. Reliqua „vitae necessaria abundanti gremio natura suppeditat. Piscosos lacus, fluenta „amoenissima, *Danubii* alveum foecundissimum in foro obsonario sentimus. „Praeter cerevisiam, Aegyptiorum inventum, orientalis *Francia*, *Athesina* vindemia, *Rhenana* ac *Neccarea* plaga, et vitis indigena nostros cados, nostra dolia, cellasque vinarias gratiose replet. Quid de amoenitate loci dicam? si prata, camporum planitiem, agrorum pulchritudinem, fluviorum alluviones, hortorum jucundissimum situm, vicorum ac platearum spatiosissimam latitudinem, „populi simplicitatem ac credulitatem consideras, nullum in Germania gymnasium comparari poterit.“ Hucusque *Philomusus* in epistola ad *Joannem Gronerium* ludi *Ulmensis* magistrum, praefixa *Mythologiis Fulgentii Placiadis*. Aug. vind. 1521. fol *).

*) *Jacobus Locher*, qui *Philomusi* nomen adoptavit, *Celtis* discipulus, et in munere professorio Ingolstadii successor, eodem, atque ego, natus est loco. *Ehingae* scilicet ad Danubium, urbe quondam anterioris Austriae, quasi media *Riedlingam* inter et *Ulmam*, quae nunc aeque Regi Würtembergiae parent. De *Philomuso*, viro graece ac latine doctissimo, plura in *Appendice*. R.

CAPUT XXXIII.

VOCATIO VIENNAM AUSTRIAE.

Etsi vero saepe fuerit superioribus annis cogitatum de *Celte Viennam* accersendo *a*), nunquam tamen res acta est ardentioribus studiis, ac an. 1496. et sequente. Commonuit eum an. 1496. academiae *Viennensis* rector, *Joannes de Egenburga b*), promissionis factae memor ut esset, fidemque datam liberaret, ac *Viennam*, quemadmodum pollicitus esset, reverteretur. Rogavit academicorum communi nomine, nulla cunctatione interposita ut advolaret, siquidem occasio opportuna et spes bona arrideret.

Eodem anno illuc fuit invitatus ab *Hieronymo Balbo*, illius Athenaei singulari ornamento, addicto viatico, quod satis esset faciendo itineri, viaque relegendae, *Vienna* si non placeret *c*). In idem pariter consentiunt *Pierii Gracci* ejusdem argumenti epistolae geminae an. 1494 ad *Celtem* datae *d)*, quibus eum certiorem reddit, fore proxime in illo archigymnasio locum vacuum per *Hier. Balbum*, in quem succedendi spes ei afforet haud dubia, venire si vellet salario L. florenorum. Spondet, sua se et amicorum opera curaturum, augmentum ut accedat, quo vivere, ut par est, commode posset. Precatur demum, ut comite *M. Andrea Stoeberle*, proxime imminentibus feriis litterariis viae se tradat, eumque jubet esse certum de viatico, quo proficiscentem prosequi vellet. His tandem accedit *Maximiliani I.* Imperatoris *e)* solemne decretum, aut epistola ad *Celtem*, qua exponit, in animo sibi esse, erigere optimarum artium studia, apud Viennenses tunc aetatis misere collapsa, atque cum disciplinis liberalibus ceteris eloquentiam potissimum, artemque poeticam suo nitori, ac dignitati, qua excidissent, pro virili restituere. Subdit, quod *Celti* longe est honorificentissimum, eum, tanquam dignissimum prae ceteris, ad id muneris fuisse selectum, judicio et assensu doctissimorum hominum, quicumque ea de re in consilium adsciti, rogatique sententiam dixerant. Qua re factum est, ut adversariorum, aut aemulorum, qui impedire vocationem *Celtis* nitebantur, obstruerentur ora, atque conatus infringerentur *f*). Illas tandem epistolas, quas *Joannes Fusemannus*, et *Pierius Graccus*, Imperatoris consiliarii, litteris Caesareis adjunxere comites *g*), quibus *Celtis* profitetur a gymnasio Norico *h*) ad academiam *Viennensem* se fuisse evocatum, inter deperditas esse dolemus.

a) Vide supra cap. XXV et XXVI.

b) *M. Joannes Burger ex Egenburga*, oppido Austriae, philosophicae facultati adscriptus, teste *G. Edero*, in catalogo *Rectorum* fasces academicos tenuit an. 1494. iterumque eadem dignitate functus an. 1496. hac *Celtem* epistola vocavit *Viennam*. „*Joannes ex Egenburga* studii Viennensis rector humanissimo viro *Con. C.* domino et fautori suo peculiari felicitatem optat. „Celebris ac humanissime vir! Plerique Viennensis gymnasii alumni, tui aman-

„tissimi, admiratione ducuntur, cur promissioni tuae, qua te propediem reversurum pollicebaris, hucusque minime satisfeceris: fortassis, quia longe honestior tuae excellentiae, quam hic, erat conditio. Nos tamen non immemores „tuae doctrinae jucundissimae, commercii integri, colloquii denique humanissimi, „quo nos oblectasti, et nostrae academiae decori fuisti, rem silentio praeterire „nequaquam poterimus, et ut speramus, data est occasio, qua tuam excellen„tiam in reditum concitemus; immo tuam excellentiam deprecamur, digneris, „tui amantissimis morem gerere, et quamprimum te huc transferre . . . Hoc „sciat sua excellentia, postquam se venturum speramus, miseram nobis existi„mamus vitam, dum tuus differtur adventus. Plura de hoc scriberem, nisi me„tuerem, me judicari assentatorem. Ea te coram recensebo. Longe tamen me„lius communis noster amicus *Joannes*, qui praesentes affert, omnium ferme „animum habens, explicare singula poterit. Raptim inter negotiandum. Vien„nae 6. Martii an. 97 (rectius an. 1496)."

c) *Hier. Balbus*, natione Italus, orator et poeta insignis, publice professus artem poeticam et oratoriam *Parisiis*, *Viennae* in Austria et *Pragae*, tandem donatus mitra factusque episcopus *Quinqueecclesiensis* in Hungaria, anno 1496 antequam transferretur ad juris prudentiae professionem, *Celtem* voluit esse, optavitque suum in tradendis humanioribus studiis apud *Viennenses* successorem. Quam ob rem hoc ad eum dedit epistolion, amoris benevolentiaeque plenum: „Insigni viro *Conr. C.* bonarum artium professori, insigni amico, plurimum „observando, *Hieronymus Balbus* tibi deditissimus. Vir insignis! Ex D. „*Joanne Krachenberger*, homine omni virtute cumulatissimo, accepi, „quanta in te bonarum artium eruditio, quali humanitate esset condita. Sed „illud idem ex tuis suavissimis opusculis facile deprehendi. Quapropter mira „ardeo cupiditate tui visendi. Licet enim ipsa virtus, quos nunquam vidimus, „nos amare compellat: attamen ipsa mutua consuetudo, nescio, quid tenacioris „vinculi adjicit. Quodsi tibi ulla cura amicorum superest, cum primum aliquid „otii nactus eris, ad nos accede. Invenies viros forte amusoteros, sed certe „poetarum cultores, tuique in primis studiosos. Quodsi nobiscum vitam dedu„cere libuerit: o, tunc nos felices ac beatos! Nec deerit tibi honesta conditio, „et stipendia pro gymnasii moribus ampla; sin minus, te et venientem et abe„untem viatico prosequemur. Ex *Vienna* Kalendis Juniis anno 96." Hanc epistolam, e cod. msc. a *M. Denisio* sibi impertitam luci exposuit una cum ceteris *Hier. Balbi* epistolis et opusculis aliis *Josephus de Retzer* anno 1791. *Vindobonae*, pag. 25. Vol. I.

d) *Pierius Graccus (Joannes Krachenberger)* Bavarus Pataviensis, in juris prudentiam et poesin toto ferebatur pectore. Martis aliquamdiu alumnus, ad

mansuetiora studia rediit, *secretarii* et *consiliarii* munere functus in aula *Friderici III.* et *Maximiliani I.* imperatorum. Hinc ansam nactus, bene merendi de melioribus litteris, juvandique homines doctrina claros. Ex quo *Celten* nosse coeperat, eum amare, tuerique non desiit. Praecipuus is erat dux, atque hortator, ut *Viennam* vocaretur. Abunde id declarat eam ob rem exarata ad *Celtem* epistola altera; prior enim, ad quam provocat, in deperditis est.

„Clarissimo viro domino C. C. P. praeceptori amantissimo in Ingolstadt. „Lieber herr und gepietter. Mein gar willig dienst sein Ew. altzeit zuvoran „berait. Ich hab ewch nechstmalen geschriben ainer lectur halben, die hie vacie„ren wirdet per resignationem meines sonnderen lieben gebieters Doctoris *Je„ronimi Balbi*, der Ewch dann von weniger conversation wegen die Ich Ew„ren halben mit In gethan hab, hiemit schreibt, Er ist mein aynige Kurzweil „hie wie wohl Ich dahin khommen bin, das Ich selbst Aynicherley lernung „nicht obligen mag, so khan Ich doch der gelerten mitwonung nicht verlassen „Auf solch mein berüert schreiben ist mir bissher kayn Antwort ine worden, „dadurch Ich zweifel ob Ewch mein brief worden sein oder nicht, doch wie „dem (seyn mag) die lectur hat L. Rh. Fl. so wolen wir daneben Allerlay weg „finden damit die sachen aus gutter Fründt Zuschub gebessert werde, darumb „was Ewch ze wellen ist lasst mich auf das Allerfürderlichst wissen, Doch was „Ir Ewch bedenkht es sey Ja oder nayn. so bitt Ich Ew vor allen dingen gar „treulichen Ir wellet In den nechsten Ewren vacancien mit sambt unserem „Maister *Andreen Stöberl* zu uns herab komen, dann Ich wil ewch im „Schaden der Zerung halben nicht liegen lassen, Besuchet ainsten Ewren ge„trewen Freund dann Ich wolt ewch des wo es an meiner weyl, und an der „Kuniglichen Majestaet nachtail were, nicht verzeihen hiet auch das vergangen „Jar gethan dann ich dieselben Zeit mussig was, wo ir Bede an haym gewesen „weret *(tempore pestis aberant Ingolstadio)* mich hiet auch des sterbens graus„samheit daran nicht verhindert, hierumb wellet disen meinen beten gehör und „stat geben, das wil ich gar hoch und fruntlich umb Ewch verdienen, Ich hab „lang nicht von Ewch gehabt verhoff doch Ir vergesset mein nicht palt, dann „ich Ewr bey allen gelerten mennern altzeit in gutten mit Frewden ingedenkh „bin, damit seyt Got bevolhen, und ich befilch mich Ewch, doch bleibt nicht „auss. Datum Vienn Feria 4ta in feriis Pentecostes 97. *Hanns Krachen„berger* Protonotari In ostereich."

Hunc *Pierii Gracci* in se favorem, ac beneficentiam agnovit *Celtis* grato animo, palamque praedicavit in suis potissimum Odis, et Epigrammatis,

eundemque fautorem suum moriturus nominavit sui testamenti executorem, legatoque donavit. De monumentis ingenii, quae reliquit, fecerunt mentionem *Jo. Cuspinianus*, *Joach. Vadianus*, *Jac. Spigelius*, aliique synchroni. Huc spectant *a) libri Elegiarum*, quas typo dignissimas judicavit *Philippus Gundelius*, *b)* Poema de civitate *Retz* in Austria, *c) Annales Austriae*, *d) Epistolae*, ex quibus una apparuit vulgata typis, inserta collectioni epistolarum ad *Jo. Reuchlin*. In codice msc. epp. ad *Celtem* occurrunt ejusdem epistolae 5. (non 7. ut perperam ponit *M. Denisius.*). *e)* Operi grammatcali *de lingua germanica*, certis adstricta legibus, est immortuus. Superstes adhuc erat an. 1514 quemadmodum testatur *X. Schierius* in commentario msc. de sodalitate *Danubiana;* unde quae *Pierium Graccum* attinent, pleraque mutuati sumus.

e) Haud facile est dictu, *Maximiliani I.* imperatoris epistola, utrum sit gloriosior *Celti*, an summo principi honorificentior, qui toto pectore incubuit ad restauranda collapsa *Viennae* litterarum studia. Artium ac scientiarum amantissimi imperatoris epistolam, quae quantum sciam, typis non est publicata hactenus, libenter ex codice msc. epp. integram exhibebimus in *Appendice.*

f) De his aemulorum machinationibus nonnulla occurrunt in epistola *Joannis Stabii*, scientissimi mathematici et historici *Caesarei.* „*Jo. Stabius C. Celti* „*poetae S. P.* Sunt aliqui, inquit, etiam contra hoc occulte machinati. Hi, ut „*Franciscus magister Italus (Bonomi?)* vocaretur, obnixe manibus pedi„busque attentant. Et . . . . *er* germanas non vult cognoscere Musas. Intel„ligis, quorsum haec. Nihil tamen haec generatio prava, atque perversa tibi „nocebit. Saepe, premente Deo, fert Deus alter opem. *Joannes Pierius* „*Graccus* in primis, alique plures, qui te diligunt, multa pro te elaborave„runt, ut hic Viennae apud eosdem tuo cum commodo vivere posses." Data haec est epistola *Viennae an. 1497 Dominica Oculi in jejunio.*

g) Earum meminit *Celtis* in epistola nuncupatoria, praefixa *Apuleio*, quem *Viennae* edidit an. 1497, iisdemque inscripsit. En epistolae initium: „*Conradus* „*Celtis Protucius*, triformis philosophiae doctor, Imperatoriisque manibus „poeta laureatus, *Joanni Fusemanno* Regio senatori, et *Joanni Gracco* „*Pierio* Protonotario, sodalitatis litterariae Danubianae principibus S. P. D. „Evocatus per vos nuper regiis epistolis *Fusemanne*, et *Gracce Pieri*, „rei litterariae principes, et vigilantissimi curatores, a gymnasio Norico ad cla„rissimam vestram Viennensem Academicam etc."

b) Vocabulum *Norico* frandi fuisse *G. F. Waldau* (addere possumus, etiam *M. Denisio)* supra cap. XXIII. observavimus.

CAPUT XXXIV.

ADVENTUS VIENNAM FAUSTIS ACCLAMATIONIBUS INSIGNIS.

Celtis equidem haud illubenter *a*) *Ingolstadio* demigravit *b*), *Viennam*que post tot tam longas et laboriosas peregrinationes ardentius expetivit *c*), ceu studiorum suorum, vitaeque reliquae portum votorumque metam; eidem tamen vocationi haud satis, ut videtur, prompte obsequentem, spe tardius *Viennam* appulisse, nescio, quibus distentum impedimentis, mirum multis videbitur *d*). Haud facile est dictu, queis amicorum studiis, quantove hominum eruditorum applausu novus advena sit exceptus. Neque enim, quod sciam, tantum honoris atque dignationis ante *Celtem* ulli apud Germanos obtigit Musarum alumno, aut litterarum antistiti. Quod quidem argumento est, in Austria tum fuisse in amore ac deliciis ingenuas artes, ac scientiarum optimas disciplinas. Effusis enim gratulationibus, aemulisque et quasi contendentibus inter se studiis celebrabant hospitis flagrantius desiderati, exspectatique adventum, quicunque apud *Viennenses* ingenio, doctrinaque valebant, reique litterariae in melius provehendae desiderio ferebantur. Felices se ac beatos reputabant, quod sint nacti celebrem Apollinis mystam, ducemque ac praeceptorem juventutis studiosae; unde ingeniorum culturam meliorem, optimarumque artium et scientiarum progressiones longe felicissimas, atque archigymnasii *Viennensis* summum decus auspicato ominabantur.

bantur. Horum in censum cum primis veniunt sodalitatis litterariae *Danubianae* socii, *e)* nobilitate generis, fama eruditionis, honorum titulis, dotibusque aliis praecellentes, qui acclamationibus festivis poetam adventantem salutarunt, nominatim: *Joannes Graccus Pierius f), Augustinus Olomucensis g), Julius Milius h), Joannes Cuspinianus i), Andreas Stiborius k), Joannes Stabius l), Christopborus de Waitmyl m), Jo. Sturlinius de Schmalcaldia n), Hieronymus Balbus o), Bartholomaeus Scipio p), Joannes Schlechta q), Georgius Neudeker r), Erasmus Pinifer s), Joannes Tolophus t), Theodoricus Ulsenius u), Henricus Cuspidius v), Petrus y)*, et *Franciscus Bonomi z)*.

a) *Ingolstadium* genio *Celtis* parum arrisisse, intelligitur ex his, quae attulimus eam in rem cap. XXXI. Discessurus *Ingolstadio* stipendium, quod ibi perceperat annos propemodum quinque, in syngrapha, qua illud abdicavit, appellavit *stipendiolum;* quod male habuit *Ingolstadienses*, velut *Celti* per litteras significavit anno 1497. *Hieronymus de Croaria*, jurium consultus ibidem.

b) *Cl. Wienerus*, rector *Wormatiensis* scholae in programmate de *Celte* contra fidem omnium contendit, eum nunquam docuisse *Ingolstadii.* Opinatur pag. 53. T. I. Annal. acad. Ingolstad. editor *J. N. Mederer*, abiisse *Celtem* Ingolstadio an. 1498. Fatetur, se ignorare, quo secesserit. Pro certo autem affirmat, *eum primum anno 1501. a Maximiliano I.* Imp. *Viennam fuisse evocatum.* Evidens autem est, *Celtem* anno 1497. decessisse *Ingolstadio*, eodemque anno venisse *Viennam*, et ibidem docuisse, stipendio publico a Caesare conductum.

c) Huc faciunt repetitae *Celtis* profectiones, quas iterum iterumque in *Austriam* suscepit, nec non epistolae ab amicis, quos *Viennae* habebat, ultro citroque ad eum missae. Quod pariter confirmat *Celtis* ipse, in sequenti adnotatione.

d) *Veni igitur*, scribebat *Celtis Viennae* Kalendis Novembribus anno 1497. in epistola suo *Apulejo* praefixa, *quamvis sero et praeter spes vestras, vestrisque satisfeci desideriis, meque in glebam vestram uberrimam adscribi libens passus sum.*

e) *Danubianae sodalitatis* litterariae historiam complexus est peculiari commentario msc. *Xistus Schier*, Augustinianus coenobita *Viennensis.* Danubianae sodali-

tatis applausus hi poetici, sive *episodia Viennae* prodierunt anno 1497, praemissa *Apulejo de mundo*, quem *Celtis*, dum praelectionibus publicis dabat initium, ibidem dicto anno typis divulgavit. Priusquam suo loco illa poematia proferamus; nonnullas lubet nunc praemittere notitias de auctoribus, a quibus profecta sunt.

f) Confer, quae de *Jo. Gracco Pierio* a nobis commemorata sunt cap. XXXIII. not. *d)* In *A. M. Cobolti Lexico erud. Bauar.* (Landishuti 1795.) frustra de erudito hoc Boio notitiam quaeres.

g) *De Augustino Olomucensi*, sive *Moravo (Kaesenbrot)* egerunt *J. G. Boehmius* in commentariolo peculiari, *Xistus Schierius* in comment. msc. de *sodal. litterar. Danub.*, *F. Proschaska Miscell. Böhmisch. und Mähr. Litter.* ut mittam alios, qui ejus opera enumerarunt. Nos solum his addimus nonnulla, quae sunt ab aliis non commemorata; velut:

1) *Epistolae. Una* comparet in *Celtis Rhapsodia*, qua vocat *Celtem* suum *Complatonicum*; *altera* exhibetur in *Bohuslai Hassensteinii* lucubrationibus; quibus accedunt *epistolae* novem in cod. msc. epist. ad *Celtem*.

2) *Epigrammata*, quorum editionem curavit *Celtis Viennae*; ut patet ex *Augustini Olom.* litteris ad *Celtem*.

3) *Poema* de bellis *Pannonicis*. Obiit anno 1513. relicta Canonicis Olomucensibus sua bibliotheca.

h) Pauca sunt, quae de *Julio Milio* nobis innotescunt. *Episodii* inscriptio edocet, fuisse eum regis *Pannoniae* primarium medicum. Versiculus autem postremus ejusdem carminis ejus patriam prodit, nempe Italiam. *A Bonfinio*, ut est apud *Schierium* l. c. vocatur *Aemilius*, *non minus genere praestans, quam doctrina.* Idem tradit, fuisse illum in tuenda regis valetudine haud satis felicem; cumque illi collega adjungeretur ejusdem facultatis alius Italus, accedente invidia, etiam negligentiorem evasisse. *In memoriis Hungarorum, scriptis editis notorum*, *Alexius Horanyi Milium* omisit. Quae apud *Steph. Wesprimium* in *biographiis medicorum Hungarorum* de illo occurrunt, teste *Proschaska*, non sunt in rem nostram.

i) De *Joanne Cuspiniano (Spieshamer)*, *Schweinfurti* nato circa anno 1473. ea duntaxat proferemus, quae litteras attinent, singularia, nec ubivis obvia, cujusmodi haec sunt: Perceptis in patria primis scientiarum elementis, anno

aetatis XV. delatus *Viennam*, felices in litteris fecit progressiones, maxime in arte poetica, magistro usus *Paulo Amalthaeo*, non *Con. Celte*, ut perperam in ejus vita ponit *Nicolaus Gerbelius*. An. 1493. a *Maximiliano I.* Imp. ornatus lauro poetica, arti medicae operam dedit, doctoris titulum meritus. *Celte* vita functo, professus est artem poeticam et oratoriam, eidemque pariter successit in munere *bibliothecarii* palatini. Translatus ad medicorum collegium, eidem facultati quater praefuit *Decani* nomine. Academicos autem fasces moderatus est anno 1500. Universitatis quoque *Superintendens* est constitutus ab Imperatore. Anno 1510. in suis aedibus ad *Mannulum* (zum Rössel) in platea *Cantorum* (in der Singergasse) ad perpetuam posterorum memoriam, praecipuorum duodecim sodalitatis Danubianae sociorum nomina lapidi, qui hodieque conspicitur, incidi curavit. Duodecim sodales, quibus monumentum erexit, sunt hi: *1) Pierius Graccus. 2) Jo. Cuspinianus. 3) Jo. Stabius. 4) Conr. Celtis. 5) Theodoricus Ulsenius. 6) Andreas Stiborius. 7) Gabriel Eubolius. 8) Guil. Polymnius. 9) Jo. Purgrius. 10) Ladislaus Suntheim. 11) Stephanus Rosinus. 12) Henricus Euticus.*

Anno 1521. *Lutherus* Wormatia dedit litteras ad *J. Cuspinianum*, quarum autographum servatur in bibliotheca Caesarea, plenas amoris benevoli. Nuntiat, minime sibi in animo esse, palinodiam canere. Faverat equidem *Cuspinianus* primis *Lutheri* ausis; at ubi intellexit, misceri omnia, cum zizaniis eradicari etiam triticum, remque vergere in motus tragicos, retraxit pedem, improbatis novi reformatoris consiliis, et usque ad obitum 1529. in avita religione constans perstitit, memor dicti *Aureliani*: *Rescindendae unitatis nulla est justa necessitas.* Hucusque mutuati sumus pleraque ex commentario ms. de sod. litt. Danub *X. Schierii*, qui indicatis fontibus singula comprobat. Cetera, quae spectant *Cuspinianum* aut munera politica, quibus functus est, legationes multiplices, resque gestas sive publice, sive privatim, brevitatis causa omittimus; unacum ejus scriptis, quae recenset *Joecherus* et supplet *Adelung*.

k) *Andreas Stiborius* (*Stöberl*) Bavarus, *Vilshofensis*, Mathesin docuit *Ingolstadii*, inde vocatus *Viennam* eodem fere tempore, quo *Celtis*, ibidemque summa cum laude mathematicas disciplinas est professus, in collegium cooptatus primariae ecclesiae, vita functus, vergente ad finem anno 1515., ut conjectat *Schierius*. Hallucinatur in multis *Koboltus*, dum de *Stiborio* loquitur; velut cum asserit, 1) didicisse *Stiborium* apud Italos *Patavii* mathematicam artem; 2) ibidem anno 1495. dedicasse *Augustino Moravo Bianchini tabulas coelestium motuum*. Constat sane ex actis academiae *Ingolstad.* docuisse eum in illa academia anno 1492. et seqq. philosophiam, ac

praelegisse majus volumen *Prisciani*. Erat *Stiborius Celti* conjunctissimus, qui oden XIV. Lib II. ejus nomini dedicavit. *Tanstetterus* ejus discipulus, alio nomine *Collimitius* indicem ejus operum confecit, quem referunt *Vossius* et alii. His a *Schierio* adduntur sequentia:

1) *Andreae Stiborii*, et *Georgii Tanstetteri Calendarium Romanum*, jussu *Maximiliani I.* imp. editum *Viennae* 1514. 4.

2) *Canones Cosmographiae.*

3) *Liber Lincolniensis de physicis lineis, angulis et figuris. Norimb.* 1503. 4.

4) *Index eorum, qui de rebus mathematicis Viennae scripserunt.*

5) Tabulis *Peurpachii* praefixa est *praefatio Stiborii*, plena eruditionis, de vita, et laude istius auctoris, aliorumque in Germania celebrium mathematicorum.

l) *Joannes Stabius*, mathematicus, tum *Ingolstadii*, tum *Viennae* celeberrimus, cujas fuerit, haud certo constat. Discipulum fuisse *Dringenbergii* apud *Selestadianos*, arbitrarie pronuntiat *Chytraeus* in *Chron. Sax.* Verius affirmat *Sleidanus*, impetrasse *Stabium* litteras, quas *salvum conductum* nominant, ab Imperatore, quibus munitus *Lutherus* anno 1518. secure *Augustam* Vindelicorum venire posset, et redire; eam cautelam suadentibus *Chr. Langenmantel* et *Conr. Peutinger*. Opera *Stabii* mathematica XV., poetica V., historica VI., adoptiva (i. e. opera aliorum, quae vulganda typis curavit) III., recensent bibliographi. In nostro cod. msc. epistolari exstant *Stabii* ad *Celtem* epistolae tres.

m) *Schierius* fatetur, nihil se habere, quod de *Weitmilio* referre possit. Afferimus, quae nobis sunt in promptu. Erat is *Bohemus* nobilis, ex illustri familia *Vaitimillia*, patre natus *Benedicto*, viro pecunioso aeque ac facundo, prudenteque, qui magna fuit existimatione apud maximos Reges, apud quos legationibus feliciter est perfunctus. *Christophorum* filium studiorum causa misit in *Italiam*. *Bononiae* audivit *Philippum Beroaldum*, exterorum, praecipue *Bohemorum*, amantissimum. *Laudat Beroaldus* in *Weitmilio* suo *virginale corporis filum*, *claritudinem natalium*, profectum in *eloquentiae latialis studio*, assiduitatem demum in frequentando quotidie *promptuario musico.* Quibus rebus adductus ei dedicavit *orationem proverbialem* i. e. eam, qua diversi generis adagia explicantur. Quae hucusque attulimus, decerpta a nobis sunt ex epistola nuncupatoria huic orationi praefixa fol. XXXVII. Opusc. *Beroaldi*,

Bas. 1515. 4. Praeter ea refert *F. Prochaska* p. 53. *Miscell.*, ordini ecclesiastico, cui erat adscriptus, (erat *Praepositus Pragensis*, ut fert episodii inscriptio; *Wischehradensis* dicitur in *Boh. doct.* P. II. p. 118. ed. *Ungar.*) nuntium eum remisisse, prinsquam initiaretur sacerdotio, seque convertisse ad armorum studium, quippe qui magis oblectaretur *strategematis militaribus*, ut de eo loquitur *Uladislaus* Rex. Quae strategemata ediderit, aeque nobis incompertum est, ac quae conscripserit, vulgaveritve opera litteraria.

n) Censent *Schierius* et *Prochaska*, nomine *Sturlinii* de *Schmalcaldia* intelligi *Joannem Sturnum (Steurle* vel *Stürle) Schmalcaldensem*, qui seculo decimo quinto inclaruit, insignis musicus, cujus opus recenset *J. J. Frisius*. Teste *B. Menkenio* idem erat unus ex praecipuis graecae et latinae linguae restauratoribus in *Misnia*. Munus docendi aliquamdiu obiit tum *Lipsiae*, tum *Annabergae*. Hinc innotuisse videtur *Joanni Vitemillio*, qui *Christophoro* filio, studiorum causa in *Italiam* proficiscenti, eum comitem ac praeceptorem domesticum adjunxit. Anno 1497. ex *Italia* reversus *Viennam* secessit unacum suo *Vitemilio*, *Celti*que tum adventanti, inter ceteros sodalitatis *Danubianae* contubernales, festivo carmine est congratulatus. Inde in *Bohemiam* redux reddidit parenti filium, suae curae demandatum. Ingeniorum aestimator optimus, *Bohuslaus Hassensteinius*, cognita *Sturni* eruditione multiplici, morumque perspecta integritate, recepit eum in aedes suas; quatuorque adolescentulis nobilibus, e quibus duo erant *Lobkowizii*, praeceptorem dedit. Quam quidem provinciam, ea, qua par est, fide industriaque administravit; ut *Bohuslao* esset multo acceptissimus, quemadmodum produnt diversa poemata, quae suum in *Sturnum* vir summus lusit. Ex iisdem intelligimus, eum prae se tulisse vultus, ac morum magnam severitatem, quam auxit oculorum nigredo, ac promissa barba; fuisse contemtorem lucri ac pecuniarum, quam ob rem *Hassensteinius* ei inscripsit librum *de avaritia*. Vocat eum *mellifluum* ac talem, qui ex *Bohemia* pepulerit barbariem. Ejus scripta haec fere sunt:

1) *Res bello et pace gestae Regis*, sermone metrico, hortatu *Bohuslai*.

2) *Centuria Uladislao* Bohemiae Regi dicata anno 1510.

3) Elegiam *Bohuslai* in funere *Annae* reginae ad *Uladislaum* regem, typis vulgandam curavit anno 1508., dicavitque *Augustino Maravo*, praevia epistola nuncupatoria, adjunctoque epigrammate ad *Bohuslaum*. Paulo post successit editio altera.

o) In *Hieronymo Balbo* nobis licet esse breves. Remittimus lectorem ad vitam ejus accurate descriptam a *Josepho a Retzer*, editamque *Viennae* an. 1791., praefixam *Balbi* opusculis. Nonnulla nostro ex penu adjicimus: 1) Nuntiavit *Celti* per litteras *Graccus Pierius* anno 1497., cathedram poeseos *Viennae* abdicaturum esse *Hier. Balbum*, cui *Celtis* eodem anno successit. 2) *Jo. Aesticampianus*, cui *Celtis Cracoviam* miserat sodalium *episodia*, rescripsit, prae ceteris sibi placuisse carmen *Hieronymi Babi (Balbi)* more *Ausoniano* elaboratum. 3) Cum *Hieronymus Balbus* apud Pragenses profitetur studia litterarum, incurrit in suspicionem haereseos; uti scribebat ad *Celtem* anno 1500. *Georgius Nitsch*, Canonicus *Olomucensis*. 4) Dedit anno 1497. *Balbus* ad *Celtem* epistolam, qua eum *Viennam* invitavit. Ex cod. msc. epist. ad *Celtem* transtulit eam *Retzerus* in T. I. pag. 25.

p) *Bartholomaeus Scipio (Steber) Viennensis*, apud Italos doctor artis medicae renuntiatus, in patriam reversus, et cooptatus in collegium medicorum, eloquentia plurimum valuit, uti et arte medica. Vitam finiit anno 1506. Ejus merita in academiam, cujus rector erat, recenset *Schierius*. Scripsit ediditque tractatum medicum adversus luem tum grassari incipientem: *A Malafranczos, morbo Gallorum praeservatio ac cura*, In fine: *Impressum Viennae per Jo. W.* Ex epistola nuncupatoria ad *Briccium*, theologum, academiae rectorem, intelligitur, excusum id operis fuisse an. 1497. Suppetit in codice msc. epistolarum *Steberi* ad *Celtem* epistola una, scripta an. 1493.

q) *Joannes Schlechta*, regis *Pannoniae* secretarius, nobilis *Bohemus*, in latinis graecisque litteris probe versatus, an. 1484. *Pragae* renuntiatus *philosophiae Baccalaureus;* singulari amicitia junctus *Bohuslao de Hassenstein*, *Erasmo Roterodamo*, *Hieronymo Balbo* et nostro *Celti*, cui in amicitiae tesseram dono dedit *Ptolomaeum* Graece scriptum. Per annos XVI. *Uladislao* regi *Pannoniae* erat a secretis. Relicta aula *Budensi*, vitam privatam egit apud suos in *Bohemia*. Obiit 1525., sepultus in Kestellecz. En Litteraria ejus monimenta, quae suppetunt:

1) *Microcosmus.* Censores hujus operis elegit *Hieronymum Balbum* et *Hassensteinium*.

2) *Epistolae:* una refertur inter epistolas *Erasmi* Lib. IV. ep. XX., qua prolixe enarrat miserum suae patriae statum, scissae in religiones tres. In eod. msc. epistolarum continentur *duae* ad *Celtem*, exaratae an. 1498. *Budae.* In bibliotheca *Ord. S. Joannis* Argentorati asservari aliquas *Schlechtae* epistolas, testatur *Weislinger* in catalogo illius bibliothecae.

r) Ortus est *Geor. Neudekerus*, nobili *Neudekerorum* in Austria genere. Jactis *Viennae* litterarum primis fundamentis, ivit *Bononiam*, auditor jurisprudentiae magistro *Joanne Campegio.* Doctoris insignibus decoratus, rector praefuit *Bononiensi* academiae. Reversus ex *Italia*, in aulam venit *Uladislai*, regis *Pannonum*, secretarii fungens munere. Revocavit eum in patriam *Maximilianus* Imp. an. 1503., ornavitque *Cancellarii* dignitate. An. 1505. adiit episcopatum *Tridentinum*, vivis ereptus an. 1512.. teste *Schierio;* an. 1515. ut vult *Denisius*. Uter verius, edocebit *Pyrrh. Pincius annalium Trid.* auctor. *Schelhornius Neudeckerum* praetermisit in numero sodalium *Celti* applaudentium pag. 310. T. I. *Amoenit. Hist. eccl. et litter.*

s) Quis, aut qualis fuerit iste *Erasmus Pinifer*, frustra excussis omnibus loculis, indagavi. *Cracoviensem* fuisse, episodii inscriptio refert.

t) Jo. Tolophi fecimus mentionem *cap.* XVII. *not. f. Jo. Trithemius* tribuit ei varia opera mathematica, et epistolas. In cod. msc. epp. exstant ejus ad *Celtem* epistolae novem. Vita migravit an. 1503. *Celtis* dicavit *Tolopho* Oden XIII. Lib. II.

u) Theodoricus Ulsenius (fors *Velsen*) ut ex ejus quodam versiculo conjicit *Schierius;* primum se dedit amoenioribus litteris, adoptato *Amalthaei* cognomine. Postea didicit artem medicam, doctoris auctus insignibus, medendi artem exercuit *Norimbergae.* Versatus aliquamdiu Augustae Vind. et in aula Caesarea. Demum rediit in *Frisiam*, unde erat ortus; vivere desiit *Herzogenbuschi* (Hagae comitum . Scripta :

1) Memorat *Trithemius* ejusdem *Eclogas multas*, *Epigrammata*, et alia plura.

2) *De Pharmacandi comprobata ratione* etc. libri duo, primam lucem viderunt *Norimb.* 1496 4. Opus hoc versibus est contextum, iteratoque prodiit *Basileae* an. 1571. 8. cum expositione *Georgii Pictorii*, *Villingensis.*

3) Publicavit *Ulsenius Guilermi* s. *Guilielmi Parisiensis* Episcopi, opera de *fide*, *legibus*, *virtutibus* etc. absque nota a. et l. *(Norimbergae)* hortante *Dannhausero.* 4.

3) *Ulsenii* ad *Celtem* occurrunt in cod. msc. epist. *Epistolae* 14. Nonnullis adjuncta sunt ejusdem carmina quaedam. *Celtis* in epigrammatis annumerat eum doctis *Frisiis*, *Rud. Agricolae* etc.

x) *Henricus Cuspidius*, interdum *Cuspidianus*, perperam *Cuspinianus* in cod. msc. epist. dicitur Germanice *Spies*. *Heidelbergae*, quibus in oris est natus, *Celtis* discipulus, *Celtem* secutus *Ingolstadium*, hinc *Viennam*, legum studiosus, crebris litteris monitus a patre per *Joannem Vigilium* et *Jacobum Dracontium*, ut toto pectore jurisprudentiae se dedat; et magis insudet legibus *digestorum* pernoscendis, quam *Justinianeo codici*. Lapsus est *Denisius*, dum pag. 10. *Buchdr.* commiscuit *Henricum Cuspidium* cum *Henrico Eutico*, rei medicae perito. Inscripsit *Celtis Cuspidio* Oden VII. Epod., qua declarat, litteris nihil esse perennius, clariusve.

y) Duo *Bonomi*, *Petrus* et *Franciscus*, Regis et Reginae Romanorum Secretarii, fratres, patritiorum *Tergestensium* genere orti, agmen applaudentium claudunt. De singulis nonnulla adferamus. *Petrus* studiis litterarum probe excultus, post uxoris obitum, ecclesiastico ordini se addixit. *Friderici* III. et *Maximiliani* I. Impp. *Secretarius*, et *Cancellarius* Imperatricis, fide singulari, integritate, ac studio summorum Principum voluntati satisfecit. Ornatus a *Friderico* Comitis titulo, comparuit Lincii an. 1501. inter actores ludi *Dianae*. Anno 1502. ecclesiae *Tergestinae* constitutus episcopus: *Administrator Viennensis* episcopatus denominatus a *Maximiliano*, crebrisque functus legationibus an. 1512. synodo *Lateranensi* adfuit. An. 1517. *Viennam* cum adventaret, solemni oratione exceptus ab illa studiorum universitate. An. 1518. praesens erat comitiis *Augustae Vind.* habitis. Erat *Welsiae* anno 1518. morientique *Maximiliano* adstitit; denominatus ab eo ultimae suae voluntatis executor, ac inter eos selectus, qui *Austriae* ditiones usque ad adventum novi Principis gubernarent. Obrepente senili aetate, facultatem demum obtinuit, post multas preces, ut anno 1523. *Tergestum* redire sibi liceret, ut invigilare gregi suo praesens posset. Vivis excessit anno 1546. annos natus 89. Hanc omnem notitiam debemus *Schierio*, atque *Denisio*. Monumenta ejus litteraria haec sunt:

1) *Epistolae* VI.: duae ad *Joannem Reuchlin*, *duae* ad *Conradum Celtem*, una ad *Maximilianum* Imp., et una ad *Blasium Hoelzelium*.

2) *Carmina*: *Hexastichon* adversus obtrectatores *Celtis*. Incipit: *Conradum quisquis temerarius urget*, *et audet* etc. Elegia ejusdem alia inscripta est *Blasio Hoelzelio*, cujus initium est: *Sedulus inservis patriae*, *charisque propinquis* etc.

3) Edidit Complurium eruditorum vatum carmina ad *Blasium Hoelzelium* Aug. Vind. 1518. 4.

z) *Franciscus Bonomi*, *Petri* frater, secretarius *Blancae Mariae*, Romanorum reginae, in litteris latinis, graecis, et hebraicis diligenter versatus; in hebraica quidem addiscenda ita incubuit, ut etiam diuturna vexatus aegritudine hoc studiorum genus minime intermitteret. *Augustae Vindel.* cum moraretur an. 1497., dono misit *Celti Ingolstadium* grammaticam graecam *Chrysolorae*. Fuisse *Franciscum Bonomium Wormatiae* praeceptorem in litteris graecis *Henrici de Bünau*, ex epistola *Jo. Vigilii* in cod. msc. epistolarum ad *Celtem* compertum habetur. A *Joanne Trithemio* appellatur *Franciscus Bonomius orator*, et *poeta insignis*; iisque adnumeratur, qui *Spanhemium* diverterunt, *in omni scientia viri doctissimi*, *et theologiae vere profundi spectatores*, *latinae*, *graecae*, *et hebraicae linguarum peritissimi; et non minus pietate*, *quam prudentia insignes*. Ita *Trithem. in Chron. Spanheim.* ad annum 1483. pag. 395. edit *Freher*.

CAPUT XXXV.

DISCIPLINAE, QUAS TRADIDIT *CELTIS* IN ARCHIGYMNASIO VIENNENSI.

Tradidit itaque *Celtis*, in *Vindobonensi* Academia *a*) inde ab anno 1497. *b*) philosophiam potissimum, atque eloquentiam, quemadmodum *Maximilianus* Imperator diserte dederat in mandatis: *Adnitere*, inquiebat ad *Celtem*, *pro virili*, *ut ad archigymnasium meum Viennense eloquentiam Romanam*, *veteremque ac solidam philosophiam inferas. Pulcherrimum est enim institutum*, *sapientiam cum eloquentia conjungere posse*. *c*) Divina propemodum ac Caesare digna vox. *d*). Cui quidem haud segniter obsequens *Celtis* studiosos adolescentes in praescriptis scientiis, et artibus, ut par est, erudivit. A *philosophia* quidem exorsus, *Apuleii* epitomen *de mundo e*) palam exposuit, ut haberent discipuli cognitionem aliquam praeviam, velut ipse loquitur, isagoges adinstar, cognoscerentque brevi velut in tabula, quomodo, et per

quem ille conflatus esset pulcherrimus orbis, in se et suis partibus, numero, nexu, ordine, varietate a divino opifice, admirabili sapientia, fabrefactus et dispositus. In rem eandem explicandam sibi sumpsit *geographiam*, duce *Ptolomaeo*, *f)* doctrinam, non divinis solum litteris; verum etiam veteribus aeque ac novis scriptoribus profanis rite intelligendis apprime utilem, ac necessariam. Haesitant ubivis, et labuntur turpiter eo litterarum destituti subsidio. Eodem pertinet, qua suos imbuit, pernecessaria cognitio utriusque globi, quo orbes coelestes, et siderum nomina, situs, atque cursus; terraeque tota superficies, cum immensa marium ac aquarum multitudine, quibus disjungitur, uno quasi obtutu spectanda, observandaque exhibetur. *g)* Neque praetermittendam sibi putavit *h)* *Historiam*, sine qua balbutiens est, atque semper infans, quicunque oratoris aut poetae sibi sumere partes velit. Omnem autem historiam inde a *Nino* repetens, atque ad *Maximiliani* usque tempora deducens, rerum publicarum origines, incrementa, decrementa, ac interitus, eorumque causas, et facta alia memoratu digna suis enarrare constituit. *h)* Huc revocatur *Güntheri Ligurinus*, quem publice praelegit, *i)* opus refertum rebus historicis, medii potissimum aevi, praeceptis ac observationibus *Politices* plenum, continens deliberationes et consilia principum, et orationes legatorum, atque epistolas virorum illustrium de rebus momenti maximi, unde cognitionem multiplicem, qua bonum oratorem inprimis decet esse ornatum, haurire licet. Atque his opibus probe instructos auditores suos demum ad poeseos et eloquentiae adita admittendos putavit. Equidem non omnes ad carmen idonei sunt; praestat tamen syllabarum, et pedum mensuras nosse, et artem versificandi, *k)* cognitisque mythologiae institutionibus, poetas legere, quae res, mirum dictu, quantum ad eloquentiam conferat. Cumque ars eloquendi sive metro, sive prosa multo difficillima sit, neque solis regulis perdiscatur; sed imitatione potissimum comparanda sit: optimos quosque in utroque genere praelegit, imitandosque proposuit; e poetis quidem *Horatium l)* praecipue, atque *Terentium. m)* Quantum autem ad solutam orationem, cum *Tullius* omnium facile princeps sit, ad ejus exemplar suos efformare, praeceptisque *Tullianae* Rhetoricae juventutem studiosam imbuere

ante omnia contendit. *n)* Praeter eloquentiam Romanam etiam Graecas litteras induxisse *Celtem* in *Vindobonenses* scholas ex multiplici ejusdem testimonio edocemur. *o)*

a) Dum orsus est *Celtis* suas praelectiones, dissidium natum est ipsum inter et facultatem philosophicam. *Acta* msc. Facultatis Artium Vindob. T. IV. Fol. 1. rem hunc in modum referunt. „Die Praesentationis beatae Mariae Virginis an. „1497. oritur difficultas ex parte novae lecturae in Poesi, quam tunc tenuit „*Celtes*, qui recepit horam tertiam ante coenam, scilicet horam exercitio„rum. Placuit, ut hora nostra servaretur, et reciperet aliam ipse. Non cu„rans *Celtes* continuavit eadem hora, ut dixit, auctoritate Regentium. Et „quia crastino descensuri erant Regentes ad D. Rectorem, placuit, ut idem „proponerem (*Johannes Wüntz, Decanus*). Et si Regentes idem cum „*Celte* niterentur, aut aliquid aliud contra facultatem, deberem respondere: „non habere in commissis quidquam agere, sed consulere vellem facultatem; „et si auctoritate Rectoris quid niterentur, protestari deberem cum notario, „et testibus de gravamine. Illis sic stantibus directum est ad *Celtem*, ut di„mitteret, qui respondens petivit tres dies: dein Regentes providerent de „horis. Admissum est; sed nihilominus ultra illos dies *Celtes* eadem hora con„tinuavit. Directi sunt ad eum duo magistri, quatenus desisteret, qui renuit. „Brevi temporis spatio me visitans, elegit horam secundam. Sic salvabatur con„suetudo nostrae facultatis."

b) Emendandus hic est *Conspectus historiae Universitatis Viennensis pag. 58.*, ubi ad annum 1494. haec leguntur: *Meminerunt acta nostra ad annum hunc, primum, fundatis a Maximiliano Romanorum rege stipendiis, constitutum ad tradendam Grammaticam juventuti Humanitatis magistrum. Fuerat is Conradus Celtes, jam antehac a Friderico IV. Laurea Appollinari redimitus, cui a facultate legendi hora assignata prima ad secundam. Auctor vero Virgilius.* Manifestum hic committi anachronismum, in aperto est. Neque in *actis* hoc loco mentio aliqua de *Celte* occurrit. Perperam itaque *Conspectus* auctor posuit nomen *Celtis*, pro *Hieronymi Balbi* nomine, cujus successor erat *Celtis* demum anno 1497.

c) Haec Imperatoris verba repetivit *Celtis* in *epistola* ad eundem, qua studiorum suorum reddit rationem, eademque Caesaris patrocinio commendat. Vide *Celtis Rhapsodiam*, cui haec *epistola* est inserta.

d) Mirum profecto est, *Maximilianum* I. Imp, a litterarum studiis non abhorruisse, quamquam teste *Jo. Cuspiniano* in ejus vita ab *indocto imbutus prae-*

ceptore (Petro, postea episcopo *Neostadii)* verberibus etiam percussus ab eo fuerit; sed his insuper habitis, optimas artes ac scientias habuisse in deliciis, atque hominibus eruditis impensius favissé. Apparuit in optimo principe, quid valeat naturae bonitas, insigne ingenium, judicium acre atque tenax memoria, quae, quod semel imbibit, non sinit effluere. Multas complexus est linguas et disciplinas. Supra linguam patriam, Latine, Gallice et Italice eleganter loquebatur. De rebus sacris disseruit acriter, de rebus jurisprudentiam attinentibus sapienter, et aeque; neque in re medica rudis. Philosophabatur, et ingeniose de rebus naturalibus disputabat. Neque infra suam dignitatem est arbitratus, scribendis libris navare operam. Opera, quae elucubravit, recenset longa serie *Lambeccius* in *Comment. Bibl. Vind.* T. II. pag. 970. Eminet inter ea *Rex Albus*, ut reddit *Cuspinianus*, *der weise Kunig.* Num librum poeticum, qui *Theuerdank* inscribitur, elaboraverit, negant alii; *Cuspinianus* affirmat. *Celtis* eum appellavit despectarum Musarum restauratorem, communemque hominum doctorum parentem. Confer ejus *Panegyricum* libris Amorum praefixum.

e) Redibit de *Apuleio* sermo lib. II. cap. X.

f) Huc spectat epigramma XI. lib. V. quo auditores ad Cosmographiam *Ptolomaei* percipiendam invitavit. Spondet, triplici lingua se id operis expositurum:

Cynthius octavam cras postquam ostenderit umbram,
Et croceo rutilum sparserit ore jubar:
Cosmographia mea tunc incipietur in aede,
Quam magnus scribit *Claudius* octo libris:
Hanc ego per triplicem *Celtis* reserabo loquelam,
Romanam, *Graiam*, *Teutonicam*que simul,
Ergo agite: hanc pulchram nemo modo negligat artem,
Qua sine me doctus judice nullus erit.

g) In eodem epigrammate globorum solidorum, qui coeli terraeque exhibent faciem, cognitionem se impertiturum pollicetur, ita canens:

Perque globos solidos coelum terrasque docebo,
Et veteres tabulas, edoceamque novas.

h) Quid in enarranda *historia* praestare constituerit, lib. III. epigr. 112. hisce versibus exponit:

Divorum cultus si forte exordia quaeras,
    Quisve prior posuit templa verenda Diis;
Quo pacto Reges fuerint, natique tyranni,
    Atque urbes toto, quas modo in orbe vides;
Historias veterum, veteris, non istius aevi,
    Celtis ego repetam, tempora prisca docens.
Ordiar a *Nino*, *Persas*, *Medos*que recensens,
    Et quae *Niliacis* gesta fuere plagis.
Quanta fuit virtus *Graiis*, hinc commemorabo;
    Et *Latium* quidquid gesserat imperium.
Hinc gentes patrias inquiram pectore toto;
    Et quidquid gessit *Teutonis* ora, dabo.
Donec ad *Aemilium* veniam, qui maximus orbis
    Jam Dominus Latia Caesar in urbe manet.

+ (= Maximilian)

i) In fine *Ligurini Güntheriani* editionis primae, quae *Aug. Vind.* prodiit an. 1507. legitur, destinatum eum fuisse praelectionibus publicis, uti *Friburgi* per *Hieronymum Baldungum*, *Ingolstadii* per *Jacobum Philomusum* . . . *Vindobonae* per *Conradum Celtem.*

k) Ad artem carminum pangendorum, quam tradidit, perdiscendam, Musarum studiosos invitavit epigrammate XXI. lib. V.

Mellifluos cupiens, juvenis, cognoscere versus,
    Et canere ad resonam carmina cuncta lyram:
Mox cras septeno dum malleus insonat ictu,
    Ad nostros properes erudiende lares.

l) *Celtis* epigrammata, quibus invitavit juvenes ad acroases *Horatianas*, id palam faciunt. Lib. V. epigr. VIII. disticho postremo ita habet:

Incipiam veteri *Celtis* me reddere ludo,
    Horatii dulces continuando lyras.

Epigrammate XX. quod sequitur in eodem libro, ut hora prima appareant ad audiendum *Horatium*, suos monet. Epigrammatis versiculi posteriores hi sunt:

Cras ubi sol radians primam signaverit umbram,
    Et calidum ad cancri brachia tendit iter:
Tertius a primo liber incipietur *Horatii*,
    Qui cantat lyricis carmina culta modis.

Quae libro III. ejusdem argumenti occurrunt carmina, opinamur ad *Ingolstadianam* litterariam juventutem pertinere.

m) *Terentium* ut suis faceret familiarissimum, non contentus explicasse, jussit, ut ad verbum ediscerent, agerentque palam ejus comoedias: quibus ut adessent, hortatus est spectatores affixis programmatis. Huc refertur epigramma XVIII. lib. IV. hac ratione inscriptum: *Pro comoedia Eunuchi ad verbum latine acta*:

> Qui cupiet veteres Romanos cernere ludos,
> Egerat ut Latio scena Latina foro:
> Phoebus ubi primam nitidus signaverit horam,
> Hic petat excelsae tecta superba scholae.

Epigramma ejusdem libri LV. hujusmodi praefert syngraphen: *In actionem Aulalariae in aula Viennensi.* Incipit: *Quisque volet cupidus Latiales cernere ludos etc.*

n) Nemo dubitaverit, *Celtem*, qui *Ciceronis* praecepta rhetorica, contracta in epitomen, typo vulgaverat, nihil habuisse prius, antiquius nihil, quam ut oratorum principem ejus artis cultoribus ante omnes imitandum proponeret. Cumque probe nosset, solis artis rhetoricae regulis rem minime confici, nec oratores formari, eo nomine dignos: *classes declamatorias* introduxit, ad morem veterum, ac *Quintiliani* praecipue praescriptum; effecitque, ut adolescentes, quasi in curia, vel senatu, aut synodo, de republica, de imperio, de ecclesia dicerent; agerentque causas, pertinentes ad communem salutem, et quae sunt id genus alia. Quam sit utile istiusmodi institutum, ad exercenda ingenia, parandasque eas dotes, quae germanum oratorem in primis decent, atque ornant, pernegabit nemo, nisi earum rerum plane rudis, atque hospes.

o) Vide, quae lib. II. cap. XXIII. eam in rem adduximus. Quodsi *Carolus* V. dicitur, Musas Graecas *Viennam* induxisse: eo sensu intelligendum esse reputamus, quod latius propagaverit eas litteras, egeritque, ut Graeci etiam libri *Viennae* typis publicarentur. Hortatus equidem fuerat *Bilibaldum Pirckheimerum Celtis*, *Homeri Odysseam* ut transferret. Ille vero recusans, inter alia haec rescribebat: *Subjungis, multos apud vos esse Graecae linguae studiosos. Non video, quid velis; praesertim cum Homerum vobis jam interpretari scribis, Non enim opera mea indigent, qui litteris graecis eruditi sunt; quibusque Homerus interpretatur . . . Ex Norimberga pridie Idus Martii an. 1504.* Ex quibus manifestum est, ante tempora *Caroli* V. litteras graecas *Viennae* viguisse.

CAPUT XXXVI.

PRAEFECTURA BIBLIOTHECAE CAESAREAE.

Ut nequid esset, quod felicem litterarum cursum, quem in primis peroptabat, ac provehere toto pectore nitebatur *Maximilianus* Augustus, retardare posset, aut bene coepta interrumpere; de bibliotheca cogitavit meliorem redigenda in ordinem, instruendaque codicibus necessariis. *a*) Erat quidem inde ab aetate *Rudolphi* I. Imperatoris a succedentibus ex Augusta domo vel imperatoribus, vel archiducibus, tum in primis a *Friderico* III. opera potissimum *Aeneae Sylvii* collecta, atque post expugnatam an. 1453. *Constantinopolim* aucta supellex libraria palatina *Vindobonensis; b*) tenuis tamen adhuc, neque rectum redacta in ordinem; quemadmodum *Celtis* testatum facit. *c*) Norunt eruditi, experientia teste, quam sit res tristis, et optimorum studiorum noxia progressionibus, usu destitui necessariorum codicum, vel assidere bibliothecae, in qua sunt confusa et permixta omnia, voluminibus in certas classes haud distributis, neque ita dispositis, ut, quo quisque liber conditus sit loculo, facile invenias. Incommodo huic opem ut ferret promovendae rei litterariae studiosissimus imperator Aug., *Maximilianus*, jussit codices, qui in promptu erant, Graecos Latinosque, aut aliarum etiam linguarum, sive impressos typis, sive calamo exaratos justum in ordinem redigi, aliosque, qui deerant, mathematici potissimum argumenti, imperavit coemi, et inferri Caesareae bibliothecae, una cum globis justae magnitudinis et chartis, utramque coeli et terrae superficiem designantibus. Quod quidem negotii ut rite perageretur, *Celti* prae ceteris demandavit. *d*) Qua fide, studio, industria versatus ea in re fuerit, in sua ad Caesarem epistola palam exposuit. *e*) Etsi

vero *Celtis* primus fuerit, qui Augustae Bibliothecae gesserit praefecturam: *Bibliothecarii* tamen titulo usus non est; neque alii, qui in eodem munere ipsi proxime successerunt. Primum enim, qui *Bibliothecarii* nomine decoratus fuerit, comperimus, fuisse, seculo XVI. exeunte, *Hugonem Blotium*, Belgam, qui diem supremum clausit an. 1608. *f)*

a) De studio *Maximiliani* I., ac meritis in bibliothecam palatinam legi meretur *Petr. Lambec.* dissert. de *augustissimae bibliothecae origine, incremento* etc. Eadem fere reperire licet apud *Danielem de Nessel* Parte VI. *catol. bibl. Caesar.* circa finem pag. 168.

b) Huc quoque facit, temporibus *Friderici* III., divinum inventum artis typographicae; unde facultas nata est, ad omnis generis codices, qui antea saepe unici latebant in bibliothecarum angulis, facilius perveniendi, transscriptis in sexcenta exemplaria multiplicatisque nova arte codicibus. Conf *Lambecius* l. c.

c) *Celtis* in epistola ad Imperatorem, quae est inserta ejus *Rhapsodiae*, etsi fateatur, Graecis, Latinis exoticisque auctoribus instructam esse bibliothecam palatinam; *tenuem* nihilominus illam vocat.

d) Ut in formam justae bibliothecae, verba sunt *Lambecii* l. c. libri redigerentur; opera praecipue *Maximilianus* usus est viri clarissimi *Conradi Celtis*, primi inter Germanos a *Friderico* III. poetica laurea donati.

e) Executus sum, inquit *Celtis* l. c., *non segniter, et cum omni studio, et vigilantia, qua potui, illa tua divina sensa et mandata, bibliothecamque regiam instruxi. Matheseos etiam libris, ex ordine positis, nuper a Majestate tua coemptis, cum globis non parvis, et chartis utramque coeli et terrae superficiem designantibus.* Ac inter eos quidem, quorum libraria supellectile Caesarea bibliotheca postmodum aucta est, post *Matthiam Corvinum*, primus comparet *Conradus Celtis.* Succedunt *Joannes Cuspinianus*, *Joannes Faber*, *Viennensis* episcopus, *Joannes Dernshwammius*, *Wolfgangus Lazius*, *Joannes Sambucus*, *Augerius Busbeckius*, *Richardus Streinius*, *Hugo Blotius*, *Tycho Brahe*, *Sebastianus Tengnagel*, et *Philippus Eduardus Fuggerus.* Illustria haec litterariorum heroum nomina, qui suis opibus locupletarunt Caesaris librarium penum, immortalitati consecrata sunt, frontique inscripta Caesareae bibliothecae, dum imperante *Leopoldo* I. anno 1663. in melius restaurata est opera laudati *Lambecii*; quemadmodum videre est apud *Nesselium* l. c.

f) In munere curandae bibliothecae regiae *Celti* successit *Jo. Cuspinianus*, vita functus anno 1529. *Cuspinianum* excepit *Casparus* a *Nydpruck*, Belga; post hunc idem munus obiit *Wolfgangus Lazius*, scriptis pluribus, historici potissimum argumenti clarus. A *Lazii* obitu anno 1565. ejusdem bibliothecae gessit curam *Augerius Busbeckius*, Belga, qui, legatus in Orientem, ex Asia, et Europaea Graecia codices et multos, et raros attulit; obtulitque *Maximiliano* II. Tandem qui bibliothecae augustae praefectus est *Hugo Blotius*, itidem Belga, *Bibliothecarii* nomen primus tulit. Qui hac de re edoceri plenius cupit, consulat *Lambecium* loco saepe citato; ubi quoque testatur, reliquisse *Celtem insignem, ut temporibus illis, bibliothecam privatam, quae postmodum magna ex parte in Caesaream transfusa sit.*

CAPUT XXXVII.

PEREGRINATIO AD REMOTISSIMUM GERMANIAE LIMITEM, THULEN INSULAM.

Quamquam vero *Viennae* sibi *Celtis* attigisse visus fuerit opportunum portum, in quo, post multas, arduasque peregrinationes, fixa tandem anchora firmaret navem, quemadmodum ipse loquitur: *a)* impetrare tamen abs se minime potuit, quin consuetudine inolita victus, ad peregrinandi studium rediret, et in terras exteras identidem excurreret. Illas inter peregrinationes, quas *Vindobonae* suscepit, memoratu dignissima ea est, quam obivit anno 1501., profectus in remotissimas Septentrionis plagas. Viderat equidem eas regiones, sinumque *Codanum*, decennio ante; at nonnisi obiter, et velut per transenniam. *b)* Ut itaque de terris illis, earumque incolis pleniorem sibi compararet notitiam, iterato sibi easdem adeundas putavit, atque accuratius perlustrandas. Ad id iter, tam longum ac difficile, cum iturienti viaticum deesset: opem imploravit *Matthaei Langii*, *c)* rogavitque, suas apud Caesarem preces pro se ut interponeret. Voti damnatus, verno tempore, viae se dedit. *Norimbergam* hoc in itinere divertisse, ex *Celtis* epistola dicto anno, ex aedibus *Bilibaldi Pirckheimeri* ad *Fridericum* Saxoniae ducem data, colligimus. *d)* Hinc

contendisse in Bohemiam, secundoque *Albis* flumine, per *Saxoniam*, ditiones *Brandenburgicas*, *Brunsuicenses*, aliasque, quae his succedunt, ad sinum *Codanum* delatum fuisse conjicimus ex libri quarti elegia quarta decima. *e)* Prolixo eo carmine, poetarum more, tempestatem describit, quae est oborta, dum per mare *Balticum* ad *Thulen f)* insulam, extremum Germaniae Borealis terminum, vehebatur. Affirmat equidem, lustratam a se fuisse totam insulam; *g)* nihil vero eorum, quae viderit, profert in medium, reservaturus fortassis omnia, eademque copiosius, ac ordine expositurus in *Germania illustrata*, cujus gratia uti ceteras, ita hanc pariter profectionem adiit. *h)* *Thule* relicta, ut conjectamus, vertit se ad visendam *Livoniam*, et *Laplandiam.* *Livoniae* quidem descripsit situm *Od.* IV. 4. *Lapponum* autem *Silvestrium*, quos testatur se vidisse, mores, modumque vivendi, enarrat pluribus eadem Oda. *i)* Ea fere huc redeunt: Est gens temulenta. Non *Baccho* calet, cujus munera nescit; sed *Cerere* cocta, quam certatim bibunt poculis paribus. In sylvis oberrant, quae rigent perpetuis nivibus, habitantque, pecudum more, in speluncis, ac foraminibus petrarum. Tecti bovino corio, quod corpori alligant salicum ramis, pro calceatu utuntur subere. Intonsis capillis, promissa bifurca barba, fronte tetrica, macilento vultu, collapsis genis, conditis introrsum oculis, horridam oris speciem prae se ferunt, ipsi timidi, ut occursantem *Celtem* fugerint, nulla voce, aut signo revocandi. Vivunt venatione animalium occisorum; quorum carnes crudas dentibus dilacerant, cruentasque in stomachum demittunt. Insidiantur potissimum *sabellis*, *hermulis*, atque *madris*; cujusmodi ferunt, nutriuntve illae sylvae. Nullus apud *Lappones* luxus, nulla ambitio, nullum auri desiderium, nec amor nummi. Nullus apud eos causidicus, medicus nullus, aut sacerdos. Nulla habent templa, nullas aras. Peragratis terris arcticis, qua via in Germaniam redierit, frustra adnisi sumus indagare. Id solum compertum habemus, *Celtem*, fictione poetica, in somno monitum a *Mercurio*, ut *Tyrolin* peteret, ubi moraretur Imperator, dicto audientem illuc concessisse. *k)*

a) In ep. ad *Fusemannum*, quae praefixa est *Celtis Apuleio.*

b) Conf. supra *Cap.* XXI.

c) Huc spectat Ode II. Lib. IV., inscripta: *Ad Matthaeum Langum imperialis camerae secretarium. Incipit: Matthaee, cunctis candide posteris legendus.* Asserit, se vidisse patriam *Teutonum*, et descripsisse; restare regiones sitas ad septentrionem. Ad hujusmodi iter opus sibi esse patrono, qui viaticum praebeat. Precatur, ut suas preces ad Caesarem deferat. Eam in rem haec canebat:

Mores et urbes cum populis suis,
Sylvae patentes, frigus in Arcticum,
Montes, paludes, stagna, campi,
Flumina sunt memorata nobis.

Restat, sub Arcton cernere Thetios
Rigentis undas, littora, et insulas,
Natura qua finem gelato
Fecerat imperiosa coelo.

Opus patrono est hinc mihi maximo,
Hanc consequamur quo modo gloriam,
Ut latitudo, longitudo, et
Teutonicis habeatur oris.

Hinc Regis aures sollicitus petes,
Ut ille nostris aera laboribus
Condonet, aut commendet illis
Regibus, quos habet alter orbis.

De *Matthaeo Langio* legendus est *Franciscus Ant. Veith Augustanae bibliothecae* pag. 25. seqq. Alphab. V. etc.

d) Videatur epistola *Celtis* nuncupatoria, quae est praemissa *Roswithae* operibus.

e) Quae istiusmodi praefert inscriptionem: *Navigationem ab ostiis Albis ad Thylen insulam describit.*

f) Quid sit de *Thule*, insula memorata veteribus geo- et cosmographis, *Straboni, Dionysio Periegetae, Plinio, Ptolomaeo, Melae, Solino*, haud satis apertum est, ob ejus in ultima loca remotionem. Teste *Strabone*, multa sunt fabulosa, quae *Pytheas* adducit. In eo fere consentiunt, ad polum arcticum esse sitam; pluresque ibi menses sine noctibus esse, et vice versa.

g) In eam rem sunt *Celtis* versiculi ex *Eleg.* XIV. Lib. IV. *Amorum:*

At postquam fessos lacti recreavimus artus,
Et lustrata mihi *Thyle* ubi tota fuit.

h) Legito, quae de hoc *Celtis* opere referuntur *Lib. II. cap. XXVI.*

i) Odae laudatae: *de Lapponibus silvestribus et situ Livoniae*, hoc est initium: *Musa, num tantum tacuisse monstrum? etc.* In confirmationem dictorum nonnulla hinc decerpimus:

Cerneres nullis habitare tectis
Vulgus incomptum gelidis sub oris,
Quae fero ritu, specubus rigentes
Protegit artus.

Vidimus tectum corio bovino
Corpus, et ramis salicis revinctum,
Corticis duri rigidasque tectas
Subere plantas.

Ibat intonsis rigidus capillis,
Squalido vultu, et fruticante barba,
Et genis macris, cava subsidebant
Lumina frontis.

Cum vocaretur, fugiebat hirto
Ore congressus, potuit nec ulla
Voce tardari, fugiens sub alta
Devia sylvae.

k) Eleg. XIV. Lib. IV. lustrata *Thule*, *Celtem* his verbis compellavit *Mercurius*:

Postquam Teutonicas remeabis *Celtis* ad oras,
Velaque Germanis te exposuere plagis:
Pergito imbigenas festinabundus ad alpes:
Qua tria conveniunt flumina clara simul;
Isis ab Eois: *Athesis* sed sole cadente:
Valle *Serentina* tertius amnis adest.
Hic ubi *Polsanum* spatiosa valle patescit:
Et *Tyrolis* terram nec fugias calidam.
Vel pete *Tergestum*, *Goricum*, *Fora Julia* poscens,
Qua patria est *Bonomi* praesulis alta mei.
Vel tibi quod melius, *Brixnam*; vel adito *Tridentum*,
Musarum pater hic *Maxmilianus* agit.
Qui dudum Almannas concepit ferre sub oras
Pegasides Nymphas, Pieridumque choros.

CAPUT XXXVIII.

CELTIS EX *THULE* REDUX BENIGNE EXCIPITUR AB IMPERATORE. CAESARIS DIPLOMA DE COLLEGIO POETICO etc.

Itaque autumnali tempore redux ex itinere *Celtis* recta contendit ad Imperatorem, qui, *Mercurio* teste, *a)* *Tridenti* tum morabatur. Neque difficilis fuit adventanti poetae ad Caesarem aditus, cui factae peregrinationis rationem esset redditurus. *b)* Summus Princeps, ut erat in homines litteratos indulgentissimus, his fere verbis poetam est affatus: *Facile est nutrire poetam. Si vis: dabo tibi uxorem cum dote. Aut si mavis, probus fieri sacerdos; sacerdotium tribuam: nec nummi deficiant. c)* Utrumque cum recusaret *Celtis*, affirmans acceptius sibi fore, si donatus pensione annua, tranquillo in otio, commodoque lare, indulgere posset amatis studiis; et transscribere aeternitati, versibusque celebrare laudes, et res praeclare gestas sui Principis: *d)* annuit Imperator, propriaeque manus subscriptione roboravit ea, quae *Celtis* petiit, factoque dono hilarem dimisit. *e)* Ordo rerum, seriesque temporis nos commonet, ut, quae de restaurandis litterarum studiis sanxit *Maximilianus* postrema die Octobris an. 1501., cum *Polsani f)* teneretur, mentionem hic aliquam faciamus. Collapsae id aetatis fuerant apud Germanos, et habitae negligentius mathematicae disciplinae. Ut huic malo mederetur, et utilissimam artem, quae in *Viennensi* athenaeo ante floruerat felicissime, *g)* dignitati pristinae restitueret, sapienti edicto cavit rei litterariae studiosissimus musagetes, ut a delectis et peritis praeceptoribus curatius illa studia tractarentur *Vindobonae*, meliorumque juvenum ingenia praestantissimo studiorum genere diligentius excolerentur. *h)* Non minus cum intelligeret sapientissimus Imperator, hominem unum, quantum-

cunque afferret paratum animum, haud sufficere, aut diu parem fore, rite, ut par est, profitendis tot artibus, et scientiis, quibus tradendis *Celtis* solus ante erat occupatus: provide, salubriterque decrevit, duo in posterum ut essent, qui ea, quae facultatis poeticae, et oratoriae sunt, earum artium alumnis pro dignitate exponerent. *i)* Ut demum minus impediti, semotique a forensi strepitu, Musis litare tranquillius, liberiusque possent, qui ingeniorum culturae darent operam, aedes illis concedendas putavit, in quibus degerent Musarum sacerdotes, una cum selecto discipulorum coetu. *k)*

a) Conf. cap. XXXVII. not. *k).*

b) Eleg. XIV. Lib. IV. de facili ad Caesarem aditu, et alloquio ita canebat:

> Moxque mihi summi fuerat data copia Regis,
> Exponoque, meae quae sit origo viae.

c) Loco cit. Imperatoris responsum metrice his verbis poeta expressit:

> Subjunxit Caesar: Facile est nutrire poetam,
> Si cupis uxorem; cum tibi dote dabo.
> Vel si devota fieri vis mente sacerdos:
> Absentes nummos, si petis, ipse feres.

Eobanus Hessus repetit eadem Imperatoris verba pag. 164. *epist. Marburgi* 1543. fol. De iisdem agit *Strobel* pag. 91. *Beiträge zur Litteratur* B. III. St. II. *Nürnberg* 1792.

d) Quid responsi dederit *Celtis*, complexus est succedentibus versiculis:

> Non ego, Rex Latii, Princeps, et gloria regni,
> Haec cupio, vitae taedia magna meae.
> Sed cupio, aeternum fieri per carmina Regem,
> Ejus et in cunctis gesta canenda plagis.
> Quod fieri ut possit, Rex invictissime regum!
> Annua des certo cum lare dona mihi.

e) De annutu Principis agit ejusdem elegiae distichon postremum:

> Annuit, et propriis manibus signaverat omne,
> Quod petii, oblato et munere abire jubet.

f) De *Polsani* (Botzen) situ agens *Celtis* in elegia hodoeporica, quam saepe laudavimus, scribit: *Hic ubi Polsanum spatiosa valle patescit etc.* Anno 1501. Octobris die 31. Caesarem ibi substitisse, conficitur ex subscriptione Caesarei diplomatis, dicto anno et die dati *in oppido nostro Bozano.*

g) Obscurum equidem non est, viguisse *Viennae*, magistris optimis *Purbachio* et *Regiomontano*, mathematices studia, prae non Germaniae solum, verum etiam gentium exterarum academiis, quae cum succedentibus annis misere collapsa fuerint, praefata constitutione feliciter restauravit *Maximilianus*. Quam in rem recte scribebat *Philippus Melanchthon* praefat. ad *Jo. Vogelini* mathematici Viennensis geometriam: „Aliquot seculis *Vienna* praecipuum fuit „domicilium *mathematicarum* artium. Nam ibi auctore *Purbachio* propemo„dum renata est haec philosophia de rebus coelestibus; et nunc magna cum laude „professionem ejus velut haereditariam retinent, et ornant ibi cum alii viri doc„tissimi, tum etiam *Joannes Vogelin*."

h) Duos, inquit Imperator l. c. *in mathematicis disciplinis eruditos ad ipsum collegium deputamus. Joannem Stabium*, illustre inter mathematicos nomen, inter primos fuisse, qui in recens erecto *Viennae* collegio litterario, matheseos disciplinas, jussu Caesaris, profiteretur, ex epistola *Vincentii Longini* edocemur. Corriualem *Jo. Stabii* fuisse *Stephanum Rosinum*, ex eadem comperimus *Longini* epistola, qua *Celtem* monuit, ne, velut machinatus est *Rosinus*, pateretur, mathematicum stipendium a collegio poetarum avelli, atque collegio *Universitatis* uniri. De *Steph. Rosino* pluribus egit *Fr. Ant. Veithius* pag. 29. seq. Alph. V. Bibl. Aug. nosque alia proferemus seq. cap. XLI. not *k)*.

i) Decrevimus, verba sunt *Maximiliani* in laudato diplomate, *pro ipsius universitatis nostrae argumento (augmento?) collegium poetarum ibidem, priscorum imperatorum antecessorum nostrorum more, erigere; abolitamque prisci seculi eloquentiam restituere. Itaque pro hac re provehenda, et imitanda duos in poetica, et oratoria.... ad ipsum collegium deputamus.* Quis *Celti* fuerit adjunctus collega, nobis clem est. Ut sibi adsisceret adjutores, qui sociam conferrent operam in tradendis disciplinis liberalibus multiplicis generis, quas *Viennae* coepit docere *Celtis:* monitus amice fuit a *Joanne Schlechta.* „Plurimum (scribebat ad *Celtem* an. 1498.) cum laudo, tum etiam probo labores suscepti operis, quos „in propaganda, et extollenda philosophiae cognitione vel ultro suscepisti.... „nec dubito, hoc tali tuo suscepto labore brevi efficias etc. Multum tibi pro„fecto non tantum universitas *Viennensis*, quantum tota Germania debet; quod

„utramque barbarie obsoletam ad splendorem Germanicae et Latinae eloquentiae „deducere studes. Attamen ne forte gravitate suscepti laboris succumbas, et rem „inchoatam imperfectam relinquas: velim, in hoc labore adjutores aliquos viros „idoneos habeas. Celerius enim, ut scis, et facilius, quaevis res sit, licet gra„vissima erigitur, cum multorum manibus levatur." Hucusque *Jo. Schlechta.*

i) Quod de Collegio poetarum, eidemque juncto mathematicorum contubernio editum est a *Maximiliano* solemne decretum, Caesarei favoris in bonas litteras immortale monumentum, primus juris publici fecit *Celtis*, adjunxitque libris amorum. Iteratis typis recuderunt *Marquardus Freherus* pag. 237. Tom. II. *script. rer. Germ.*; *Melchior Goldastus* pag. 482. Tom. III. *Constitut. imper.*; *Joannes Seldenus* p. 136. P. II. *de titulis honorum*; *Jacobus Burckhardus* p. 188. Part. II. *de fatis L. L.*; *Joannes Henr. a Seelen* pag. 491. *select. litter.* ed. 2.; qui *Maximilianeum* diploma notis, et observationibus copiose illustravit. Nos aureum hoc litterati Principis documentum, ab omnibus, quibus sapientiae studia in deliciis ac amoribus sunt, merito exosculandum, ea, qua par est fide, integrum referemus in appendice.

CAPUT XXXIX.

PRAEFECTURA COLLEGII, UNA CUM FACULTATE CORONANDI POETAS, DEMANDATA *CELTI.*

Quod Imperator anno 1501. ad finem vergente solemni decreto destinaverat, *a)* summus litterariae rei promovendae, quo flagrabat, ardor minime passus est, proferre in longius; sed ineunte mox anno proximo dicatum Musis domicilium aperuit. *b)* Quam in rem eodem anno *Vincentius Longinus* Kalendis Februariis panegyricum recitavit, heroicis versibus contextum in laudem *Maximiliani*, novae poetarum et mathematicorum coloniae auctori. *c)* Id, quod sancitur Caesareo diplomate de collegii praefectura, et *superintendentis* munere, *d)* *Celti* delatum fuisse, colligitur tum

ex verbis Imperatoris; *e)* tum potissimum ex *Celtis* testamento. *f)* Pertinebat itaque ad *Celtem* cura et sollicitudo de rebus, quaecunque contubernium illud spectabant; sive oeconomici generis fuerint, sive litterarii: ut recte gererentur res collegii, justoque ordine cuncta responderent Caesaris voluntati. Praerogativa altera, qua *Celtem* ornavit Imperator, longe illustrior, quaeque cedit in recens erecti collegii singulare decus, augmentumque scientiarum, erat facultas, corona laurea donandi poetas, qui, rigido tentati examine, illo honore digni judicati fuerint. *g)* Post *Celtis* obitum, exorta lite de corona argentea, quam una cum privilegio, creandi poetas laureatos, academiae *Viennensi* jure legati testamento reliquerat, fisco Regio eam deposcente; *h)* is ritus, renuntiandi doctores poeticos diu est apud *Vindobonenses* intermissus, donec post longi temporis decursum revocaretur, cooptatis in ordinem laurigerorum poetarum an. 1558. et 1560. Apollinaris coronae candidatis pluribus. *i)* Omne tandem in scholis *Vindobonensibus* imponendae laureae institutum exolevit, invalescente gradu academico *Baccalaureorum* philosophiae, et *magistrorum* in eadem facultate; quorum quidem annis singulis ingens cum esset proventus, atque ut fit, multitudo contemtum pareret: idem fere fatum subiit cum coronatione poetarum, *Josepho* II. modum ponente, ut jam rarescant, qui illis honorum titulis insignes sunt.

a) Illud *Maximiliani* diploma alii aliter inscripserunt. *Celtis* editio princeps praefert hunc titulum: *Privilegium erectionis collegii poetarum et mathematicorum in Vienna.* Eandem fere epigraphen refert *Freherus*, additis initio vocabulis: *Maximiliani I. Imperatoris Augusti constitutio de honore et privilegiis poetarum.* Paulo aliter habet *Joannes Seldenus*, usus vocabulo *Diplomatis.* Significatu latiore *Jo. Henricus a Seelen* hoc edictum inscripsit: *Maximiliani Caes. Aug. Diploma de instaurandis studiis humanitatis.*

b) Initio anni 1502. erectum fuisse poetarum collegium, indicant *panegyrico*, quo *Longinus* egit gratias pro *erecto* collegio, subjecta haec verba: *Dictus anno Domini M. D. et novi seculi secundo Kalendis Februarii.* Idem confirmat subscriptio epistolae *Celtis* ad Imperatorem: *Ex phrontisterio nostro, et contubernio litterario Viennae Kalendis Martiis. Anno secundo erectionis Collegii, Salutis vero nostrae M. D. IV.*

c) De *Vincentio Longino* egimus alias. *Panegyricum* ejus recensuimus Lib. II. Cap. XVI. num. IX.; ubi etiam alteram ejus editionem adnotavimus.

d) De *episcopi*, aut *superintendentis* vocabulo ex antiquis legendi sunt *Hieronymus* et *Augustinus*. Scribit *Hier.* ad *Evagrium*: *Hoc quidem graece significantius dicitur.* Consentit *Vossius* de vitiis sermonis etc. *Veteris*, inquit, *ecclesiae mihi veneratio est, ut longe episcopum malim dicere.* Medio aevo translatum esse vocabulum ad rectores scholarum, et ephoros academiarum, tum exemplis universitatum aliarum, tum nostrae *Friburgensis* comprobatur. Anno 1482 functus est apud nos *Joannes Kerer* munere *Superintendentis*, cujus erat, quemadmodum videre est in actis academicis, invigilare, *ut lectiones et alii actus in omni facultate, et utiliter fiant, et unusquisque sive doctor, sive magister, sive scholaris se bene habeat, et in vestimentis, pro decentia sui status, et Universitatis.* Conf. *Vet. bibl. eccl. Frib.* pag. 37.

e) *Eum*, sunt verba Imperatoris, *quem pro tempore lectorem ordinarium in poetica constituemus, volumus eidem collegio praesse: quem etiam praesentibus nostris ipsius collegii et lectionum Superintendentem facimus, et creamus.* Verbis sequentibus, ubi Caesar agit de facultate coronandi poetas, significantius idem exprimit. Vid. seq. not. *g)*.

f) Collegii praefecturam, ejusdemque curam oeconomicam ad *Celtem* pertinuisse, satis indicant *Testamenti* haec verba: *Census de domo S. Annae* (quae erat collegii sedes et domicilium) *est nunc per me solutus, usque ad festum S. Georgii: quare census inquilinorum mihi cedit . . . Dedi autem Abbati hospiti domus 7. florenos Rhenenses: et vice-Dominus Austriae pro me etiam 17. florenos etc.*

g) Audiamus Imperatorem ipsum de magnifico hoc privilegio explicatius disserentem: „Quo autem, inquit, praefatum collegium uberiori a nobis gratia, et privilegio „decoretur, resque ipsa felici gradu debitum sumat incrementum; pro honore „nostro et dignitate augendae *Viennensis* Universitatis, Caesarea nostra auctori„tate, ac motu proprio praefatum collegium hoc praesenti privilegio, ac prae„rogativa decoramus; ut quicunque in praefata nostra Universitate *Viennensi* in „oratoria et poetica studuerit, lauream que concupiverit, is in praenominato poe„tarum collegio diligenter examinatus; si idoneus ad id munus suscipiendum ha„bitus, et inventus fuerit, per honorabilem, fidelem, nobis dilectum *Conradum* „*Celtem*, per genitorem nostrum *Fridericum* III. divae memoriae primum inter „Germanos laureatum poetam, et modo in Universitate nostra *Viennensi* poetices „ac oratoriae lectorem ordinarium, ac deinde per successores ejus, qui pro tem„pore collegio praefuerint, laurea coronari possit, sicque per eum et successores

„ejus laureatus pro poeta ab omnibus habeatur et celebretur . . . ac si manibus „nostris ea dignitate fuisset insignitus etc."

h) Ac primus quidem testamenti *Celtici* articulus sic se habet: *Jure legati relinquo Universitati floridae Viennensi privilegium, creandi poetas laureatos per lectorem ordinarium poeticae, quod ab invictissimo Principe Romanorum imperatore Maximiliano semper Augusto propriis impensis impetravi: similiter et lauream argenteam cum sigillo argenteo eidem Universitati relinquo.* Haud satis percipio, quomodo conciliari haec possint cum verbis Caesarei diplomatis.

i) De utroque actu poetico agit *M. Denisius* pag. 556. et 594. *Wiens Buchdr.*, recensetque scripta, quae eam in rem dictis annis prodierunt. Etsi vero usque ad tempus illud nullus in scholis usus fuerit *Maximilianei* diplomatis: perrexerunt tamen Imperatores jure suo uti, eosque honores in non paucos conferre; ut non desint, qui in eo gratificandi genere nimios fuisse pronuntient. Quibus suffragari videtur *Justus Lipsius*, qui ad *Franciscum Modium Herbipolim* haec scribebat an. 1582. „De poetis Germanis aliquid scripsi, aut dixi; at non „de germanis. Fucos et dehonestamenta poetarum saltem tetigi; quorum fertilis „sane illa ora. Vidimus nos et vides ipse. Quis non ibi somniasse vult in „bicipiti illo Parnasso? Itaque vates omnes audiunt et prodeunt; et compti „sublimesque multi cum Caesarea sua lauru. Quos non equidem sperno, aut „rideo: hoc tantum iis instillo: *Laurigeri multi; pauci Phoebi.* Quin re ple„rumque didici, mimine re poetas, qui titulo, et nuncupatione" *Maximilianus*, dum *Celti*, ejusdemque successoribus tradidit facultatem coronandi poetas; jus illud non prorsus abdicavit, quemadmodum diserte indicant verba *Maximilianei* diplomatis: *Reservato tamen nobis nihilominus jure, poetas coronandi, quos idoneos duxerimus. Potestati enim nostrae per hoc privilegium nequaquam derogamus.* Usum esse *Maximilianum* jure suo, atque post annum 1501. propriis manibus imposuisse coronam lauream poetis pluribus, multis sane constat exemplis, quae commemorat *Boemius* in dissertatione de amore et studio *Maximiliani* I. Imp. in poesin. Desideratur tamen in eo poetarum a *Maximiliano* coronatorum numero *Georgius Sibutus*, Saxo, *Celtis* discipulus. Mirum quod *Boemius* popularem suum omiserit, qui de se canebat:

Conradus sacro lavit me flumine *Celtis*,
Induit et primam Phoebaeo murice vestem.
Post ubi me Divus cognovit *Maxmilianus*;
Imposuit sacram regali pollice laurum,
Carmina et in totum jussit me spargere mundum.

CAPUT XL.

PEREGRINATIO *CELTIS* POSTREMA.

Missis peregrinationibus illis, quas *Celtis* confecerat *Viennae*, profectus in *Hungariam*, *a*) *Stiriam*, *Carinthiam*, *b*) *Noricum* *c*) et *Moraviam*, *d* lubet illud duntaxat hoc loco iter commemorare, quod peregit in Orientalem *Franciam* haud diu ante vitae exitum, scrutaturus more suo coenobiorum bibliothecas, veteresque codices venaturus. Notabilis est haec profectio inventione *Ligurini*, quem *Ebraci*, apud Druidas *Cisterciensis* instituti in silva ardua reperit, eumque *Augustae Vindeliciae* amicis litterariis reliquit, ut *Guntheri*, Germanorum poetarum principis carmen praestantissimum, publici juris facerent; quemadmodum prologus edocet, quem praefert editio *Augustana* *e*). Frustra exspectatum fuisse *Celtem* ea in peregrinatione *Wirceburgi*, conqueritur *Joannes Trithemius*, qui in amici, tanquam fratris dilectissimi sinum gestiebat effundere, quam sit indigne habitus *Spanhemii*, nequitia monachorum. *f*) In litterariis id genus excursionibus *Celtis* comitem fuisse *Andream Stiborium*, insignem mathematicum, refert *Joachimus Vadianus*. Eodem teste comperimus *Celtis* absentis partes *Viennae* in docendo supplevisse *Thomam Roscium*, virum eloquentissimum. *h*) Vicaria eadem opera nonnunquam pro *Celte* perfunctum fuisse *Vincentium Longinum*, et domus sive collegii habuisse curam, intelligimus ex ejusdem litteris ad absentem *Celtem* exaratis.

a) Pannonici hujus itineris meminerunt *Georgius Neudecker*, et *Joannes Schlechta*, regis Pannonum Secretarii in suis episodiis, de quibus nobis sermo alibi. Ad illam profectionem fuisse invitatum a sodalibus litterariis, qui degebant *Budae*, ex eorum ad *Celtem*, epistola, communi nomine data elucet.

b) Anno 1500. *Stiriam* et *Carinthiam* peragrasse *Celtem*, indicant versiculi, quos subtexuit carmini seculari. Confer. Lib. II. Cap. XIII.

c) Fuisse *Celtem Norimbergae*, verno tempore an. 1502., ut editionem curaret operis elegiaci, quam in rem sumptus conferebat *Maximilianus*, perspicuum est, tum ex epistola dedicatoria, scripta *Norimbergae* in aedibus *Bilibaldi Pirckheimeri*, tum ex epistolis *Vincentii Longini*, an. 1502. tempore vernalis jejunii *Norimbergam* ad *Celtem* datis. Nuntiavit, quid interea acciderit *Viennae*, praecipue in poetarum collegio. Adjunxit epistolae exemplar castigatius carminis panegyrici, et eucharistici pro erecto collegio poetarum. Alia epistola eodem anno reddidit eum certiorem de communi eruditorum plausu, quo sint excepti *Viennae* libri Amorum.

Quam in illo itinere, quo *Norimbergam* perrexerat, atrociter fuerit habitus, et spoliatus die prima Martii, a duobus latronibus, exponit copiosius Lib. II. Eleg. XII., quae incipit: *Tempus erat verno dum currunt mense Kalendae* etc. Eadem paucioribus refert in hymno ad *Charitatem*, quem adduximus Lib. II. Cap. IX.

d) *Georgius Cetianus*, discipulus *Celtis*, epistola data *ex litteraria palaestra divi Wenceslai in Olomutz* an. 1504., *Celti* inter alia significat, fuisse se nuper apud *Olomucensem* episcopum, *qui miratus sit quam plurimum*, (verba sunt *Cetiani*) *cur tua dominatio ausa fuisset, discedere ab Olomutz, et suam paternitatem non visitasse.* Ejusdem peregrinationis mentionem faciunt *Martinus Sinapius*, *Marcomannus*, et *Jodocus de Schmalcaldia*; velut apparet ex collectione epistolarum, quas anno 1504. amici atque sodales litterarii scripserunt ad *Celtem*.

e) Ejus peregrinationis, qua Orientalem *Franciam*, patriam suam, postremum vidit *Celtis*, testes habemus viros nobiles, et eruditos, *Marquardum de Stein*, Bambergensem praepositum, *Mathaeum Marschalck*, *Bernardum et Conradum Adelmann de Adelmannsfelden*, Canonicos, *Conradum Peutinger*, et *Georgium Herbart*, Augustanos. „*Venit*, in„quiunt, his diebus *Augustam Conradus Celtis*. Rogavimus, si aliquos „libros, antehac nobis incognitos, peregrinando in Germania reperisset; retulit, „in monasterio quodam *Francorum Orientalium*, quam nostrates *Franconiam* „appellant, se invenisse *Ligurinum* . . . Adhortati *Conradum* fuimus, „ut exprimi formis curaret; cumque post aliquot tractatus sibi cum artifice „parum conveniret, atque hinc abire decrevisset . . . nostra opera, et aere effeci-

„mus, ut artifex ille onus subierit, editione typis procusa *Aug. Vind.* an. 1507.“ De *Güntheri Ligurino* redibit sermo Lib. II. Cap. XIX.

f) Huc revocatur *Joannis Trithemii* epistola, scripta eodem an. 1507. Indicat, se sperasse, futurum, ut *Wirceburgi Celtem* videre, et amplecti liceret. At rem cecidisse secus; quandoquidem audisset, praeterito *Wirceburgo*, eum concessisse *Augustam Vindelicorum*, hincque remigrasse in *Austriam*. Adjicit, commode accidisse, ut sibi occurreret *Celtis* ex sorore nepos, *Nicolaus Wiland*, cui epistolam traderet, ad eum perferendam, testem ac nuntium fatorum, quae ad id usque temporis sibi toleranda fuerint, et cur *Spanhemium* suum reliquerit. Deest quidem haec epistola in nostro codice msc. epistolari; qui finem habet cum anno 1505.; at legitur in collectione epistolarum *Trithemii. Hagenau.* Lib. II. ep. 33. repetiturque in ejusdem *Joannis Trithemii* operibus historicis.

g) *Joachimus Vadianus*, unus e celeberrimis *Celtis* discipulis in libro *de poeticae et carminis ratione* tit. VI. fol. XX. *Viennae* 1518. 4. de *Celtis* comite itinerario haec habet. „Geographiae et vetustatis noscendae adeo studiosus fuit „*Celtis*, ut post multam lectionem, *Andrea Stiborio*, philosopho et theo„logo, communis itineris socio assumpto, justam partem Europae peragraverit.“ Cetera, quae *Stiborium (Stoeberl)* attinent, adduximus Cap. XXXIV. not. *k)*.

h) Idem *Vadianus* de *Thoma Roscio (Resch)* l. c. haec addit: „De Germa„niae situ *Celtis* orsus est libros, quos fato intercipiente affectos quidem, sed „immaturos reliquit... Hujus aliquando Caesarum, aut reipublicae, litterarumve „graviora negotia gerentis in profitendo vices gessit *Thomas Roscius Panno* „vir eloquentissimus.“ Plura dedimus de *Thoma Roscio* supra Cap. XVII. not. *b)*.

i) Eo quidem facere arbitramur *Longini* epistolam, de qua nuperrime fecimus mentionem. Dum affirmamus, *Longinum Celtis* absentis vicariam praestitisse operam; absit, quisquam cogitet, nos de ultima *Celtis* profectione loqui. Manifestum quippe est, quod lib. II. cap. XV. adnotavimus, *Longinum*, dum *Celtis* postremam ad Orientales Francos peregrinationem obiit, vita jam ereptum fuisse. Nonnulla occurrunt apud *Celtem* epigrammata lib. IV. circa finem, quae sunt amoris erga *Longinum*, mutuaeque amicitiae perenne monumentum.

CAPUT XLI.

ANNUS ET DIES EMORTUALIS.

Tot peregrinationibus, *a)* quibus laetatus est in omni vita haud satis temperanter acta, *b)* corporis animique vigorem, ac valetudinem prosperam vehementer afflixit, ut varii generis morbos seniumque sibi ac mortem ante diem consclsceret. Hinc illae lacrymae, et querimonia perfrequens de fractis viribus, pallore vultus, tremore manuum, pedumque titubatione, de rugis senilibus, calvitie, raritate dentium, vertigine capitis, insomnia, et quae sunt id genus alia hominis male affecti incommoda, quae suis in carminibus singulatim recenset; ut aegri solent, qui levari se putant, dum in sinum amicorum doloris onus, quo premuntur, egesserint. *c)* Diem supremum haud procul abesse cum persentisceret, tot signis monitus, ipse sui imaginem curavit effingi, quae mortuo similem repraesentaret, cum suis honorisque poetici insignibus, manibus fractis supra libros positis, flentibus geniis, inscriptione addita: *Cur mors tam dulces rumpis amicitias? Quid non Libitina resolvis?* In imaginis limbo inferiore istiusmodi sibi posuit epitaphium:

D. O. M.

Flete pii vates, et tundite pectora palmis:
Vester enim hic Celtis fata suprema tulit.
Mortuus ille quidem; sed longum vivus in aevum,
Colloquitur doctis per sua scripta viris.

Chun. Cel. Pro. Viennae laureae custos et collator.
Hic in Chris. quiescit. Vixit an. II L. sal. sesquimill. et VII. d.)
Sub divo Maximil. August.
H. B.

Inde apparet, mortem *Celti* minime improvisam accidisse, ad quam quidem more christiano rite se paravit, eandemque excepit *christianissime e)* anno salutis per Christum partae M. D. VIII. *f)* mensis Februarii Die IV., *g)* postquam extremis tabulis, quid de rebus suis post obitum fieri vellet, constituerat; *h)* rogatis, denominatisque testamenti executoribus *Pierio Gracco*, poeta, *Martino Capinio*, jurisconsulto, *i) Andrea Stiborio*, mathematico, *Thoma Velociano* Austriaco, *Stephano Rosino* Augustano. *k)* E domo sanctae *Annae, loco suo solito residentiae, l)* insigni funeris pompa, toto *Viennensis* academiae comitante coetu, juxta aedem *sancti Stephani*, traditus est sepulturae. Ibique in marmore candenti, ad Orientis plagam, hac, Romano more, *inscriptura* est honoratus per amicos testamenti executores. *m)* Est autem lapidis sepulchralis haec inscriptio:

Deo. Op. Max.
Con. Celti. Protucio
poe. Ostrofranco ex
Testam. pie positum

V	I
V	O

An. XPI. M. D. VIII. II. *No. Febru. n)*
Vix. An. XLVIIII. *Di.* III.

Funus *Celtis* prosecuti sunt epicediis non *Viennenses* solum poetae: *Velocianus, Cuspinianus, Jo Camers, o)* verum etiam exteri: *Hassensteinius, p) Eobanus Hessus, Isacius Trebelius, Margaritus, Pyrrhus. q)* Quibus nonnullos versiculos meos ejusdem argumenti subtexere lubuit. *r)*

a) Longis et arduis peregrinationibus adscribit *Celtis* bonae valetudinis jacturam in ep. ad *Fridericum* Saxoniae electorem, quam hunc in modum orditur:

Difficili et longa peregrinatione non sine peculii mei, et prosperae valetudinis jactura etc.

b) Piget, in hujus rei confirmationem adducere sive ex elegiis, sive ex odis ea, quae faciunt confitentem reum. Neque necessarium reputamus, ex epistolis *Matthaei Langii, Conr. Pirckheimeri, Seb. Clamosi,* aliorumque excerpere loca, e quibus elucet, fuisse eum per amicos monitum, temperantius ut se haberet. *)

*) Neque tamen desiderabuntur hujusmodi loca in excerptis ex epistolis amicorum ad *Celtem.* R.

c) Annum aetatis cum ageret quadragesimum, elegiam contexuit, hujusmodi querelarum plenam; estque tertia libri IV. Amorum. Delibamus nonnulla:

Bis mihi vigenus hinc currit lubricus annus,
 Prima mihi Phoebi visa ubi lampas erat.
Jamque ego depilis, glabraque in fronte notatus,
 Et cani mentum corripuere meum.
Quale in Coricio *) feriunt vaga sydera coeli,
 Et stant cum calvis saxa nivosa jugis.

Nonnullis interjectis: **)

Cum turpes rugas undique vultus habet.
Invida, quae cunctis formam cum tempore tollis?
 Languida cur properas curva senecta gradu?
Heu mihi, quo fugiunt lasso de corpore vires:
 Et coma, quae denso vertice flava fuit?
Nec vigor in tremulis manibus: mihi vix pedis usus,
 Nec color in vultu talis, ut ante fuit.
Per faciem totam frons sese exasperat atra,
 Et pallent oris lurida labra mei.
Rarescunt dentes, citrini et in ore coloris,
 Decidui, et septum deseruere suum.
Emoriturque suo mens deficiente calore;
 Quale solet tepido lenta favilla rogo.

Post pauca:

Nec me somnus alit per longae taedia noctis,
 Humectans requie corpora fessa sua.

Sed variae surgunt curae cum pectoris aestu,
Et veniunt miris somnia dira modis.
Venturae mortis terrent simulacra sopitum:
Auribus instillant: Cras moriturus abi!

*) *Coricio*, rectius *Corycio. Gesner. thes. L. L. Corycus* mons siliciae in Asia minori, ubi frequens crocus gignitur. Vid. *Horat. Lib. II. Sat. 4. 68.* R.

**) Uno scilicet hexametro:
Et mihi jam facies, faveat cui nulla puella. R.

d) Qui perlecta hac sepulchrali epigraphe, quae *Celtis* imagini adjuncta est, ejus obitum referunt cum *Frehero* ad annum 1507; non pensitant animo, esse eam imaginem excusam, in vivis adhuc superstite *Celte*, ejusdemque jussu. Affingunt nonnulli *Georgio Edero* lapsum similem, quasi fixisset *Celtis* obitum in anno 1507. At qui ita censent, non intelligunt *Ederi* mentem, aut verba; neque legisse videntur illius praefationem, qua indicat, in recensendo Rectorum academiae *Vindobonensis* syllabo annum se ordiri a mense Octobri. Quo spectato, consequens est, diem quartam Februarii ad annum 1508. referri, velut recte animadvertit *Schierius.*

e) Mortuus est, sunt verba *Velociani* in ep. ad *Wolfgangum*, abbatem in campis Liliacis, Ord. Cist., *Celtis noster et pie et christianissime.*

f) Annum et diem emortualem luculenter exprimit lapis sepulchralis, cujus effigiem accuratius delineatam, ac aeri incisam, adjunxit tabulae itinerarii *Theodosiani Franc. de Scheyb*, patritius *Constantiensis*. Cui quidem, quantum ad substantiam, conformis est descriptio ea, quae sistitur ad calcem odarum *Celtis.*

g) De die quidem illo, quo *Celtis* vitam clausit, ex his, quoscunque legi, neminem video dissentire. Neque mirum, si, quemadmodum diem primum Februarii, quo est natus, inter candidos, atque bene auspicatos computarunt *calendariorum litterariorum* scriptores, quorum memini cap. III.; ita diem quartam, qua est vita functus, inter illaetabiles ac nefastos numerarint. In eam rem, quod paene adhuc puer luseram distichon, libet his adjungere. *In diem emortualem Celtis.*

Februa prima tibi lux fausta; at quarta feralis:
Luminis haec usum, quem dedit illa, rapit.

h) Exemplar *testamenti* quod prae me habeo, ex antiquo cod. msc. trecentorum fere annorum, qui acta complectitur academiae *Viennensis*, manu sua in meos usus descripsit singularis amicus meus *Dollinerus;* quod, ut habet inscriptio *anno 1508. die lunae, penultima Februarii consistorialiter productum, et approbatum est in rectoratu venerabilis et egregii viri, magistri Joannis Hegkmann ex Schillingstadt, sacrae theologiae Licentiati. In appendice* Celticae biographiae afferam Testamentum integrum. Utinam surgeret quispiam, qui hominum doctrina celebrium testamenta colligeret! Multa sane hinc percipi possent, quae defunctorum characterem, indolem, genium, studia, mores, vota, religionem etc. majore in luce collocant!

i) Infelix ille *Martinus Capinius*, Transsylvanus (ex *Hermanstadt*), philosophiae et jurium doctor, ordinisque juridici tertium *decani* munere functus, cujus domus a plerisque ut oraculum adibatur, civitatis *Viennensis* judex, civilis seditionis reus capitis damnatus anno 1522. *Neostadii* vitam finiit. Anno 1512. dicaverat *Capinio* suo gentili *Adrianus Wolfhardus* panegyrin metricam de laudibus *Maximiliani* Imp., ornatam *Vadiani* epigrammate, atque hac ratione inscriptam: *Eminentissimo* D. *Martino Capinio, Transsylvano, utriusque juris, et philosophiae professori, ac reipublicae Viennensis supremo censori.* Conf. *Denis* p. 67. seq. *Wiens Buchdr.*

k) *Stephanus Rosinus*, discipulus *Celtis Ingolstadii*, germanice appellatus *Rösel, Röslein* etc. *Cracoviae* renuntiatus philosophiae magister; aggregatus an. 1501. *Vindobonae* facultati philosophicae, theologiae *Baccalaureus* atque jurium *Licentiatus*. A *Maximiliano* Imp. constitutus *capellanus aulicus*, Romam missus ad imperatoris agendas causas, *Sollicitatoris* nomine. Neque praetermissit *Romae* tueri *Joannem Reuchlin* adversus calumnias accusatorum. Canonicus erat ecclesiarum cathedralium *Vienn. Trid. Patav.* etc. quibus quidem titulis eum compellat *Jo. Stabius;* dum ei nuncupavit *quadratum geom. Peurbachii.* Ejus occurrunt epistolae quatuor ad *Celtem* in codice nostro msc. epistolari. Quae typis mandavit *Prognostica*, *Schierius*, et *Denisius* recensent in hist. typogr. Vindob. Neque praetereundus est *Veithius* T. V. *bibl. Aug.* pag. 80.

l) Domus sanctae *Annae*, in qua inde ab anno 1500. ad obitum usque degebat *Celtis*, spectabat ad coenobitas *Montis Novi* (Neuberg) ord. Cist.; velut apparet tum ex epistola *Joannis Pernreyther* ejus coenobii alumno, tum ex *Celtis* testamento. Inquilini ejusdem domus una cum *Celte* fuerant selecti

adolescentes, artis poeticae, et matheseos studiosi, quorum ipse erat *superintendens*, sumptibus publicis sustentati. Verba testamenti, quae huc attinent, supra attulimus.

m) Haec iisdem propemodum verbis perscripsit *Velocianus* ad abbatem *Wolfgangum*, in epistola *odis Celticis* adjuncta.

n) Quemadmodum erant, ut supra meminimus ad litt. *d)*, qui *Celtis* obitum perperam referunt ad annum 1507., ita non deerant, nescio quibus acti *praejudiciis*, qui vellent, eum vita excessisse anno 1505. Ita sane hallucinati sunt *Vossius* in hist. Lat. *Miraeus* in Auct. *Baillet* jugemens de savans, *Koenig* Bibl. Quos quidem manifesti erroris perspicuo convincit adductum a nobis *Celtis epitaphium.*

o) *Vindobonensium* poetarum carmina in funus *Celtis* proferemus Lib. II. Cap. XXI. ubi ejus *odas* recensitas dabimus.

p) In opusculis poeticis *Bohuslai de Hassenstein*, quae in lucem prodierunt *Pragae* an. 1570. pag. 36. haec leguntur ejus in *Celtem* epicedia:

Bohuslai Hassensteinii de Lobkowitz epitaphium in Conradum Celtem.

Quo duce Danubius cantu certavit *Homero*,
Lusit et Aonia Parrhasis ora lyra:
Quo duce Nestoreo sonuerunt ore *Triones*:,
Floruit Arpino Rhenus et eloquio,
Conradus jacet hic *Celtis*, quo *Francia* vate
Tollitur, et fibras provocat Aonias.

Aliud ejusdem.

Hic recubat *Celtis Conradus*: Rector Olympi
Quem, precor, ut campis collocet Elysiis.

q) Exterorum nonnulla epicedia in busta *Celtis* inseruit *Joachimus Camerarius* opusculo, quod inscribitur: *Libellus novus epistolas, et alia monumenta litteraria complectens.* 1563. 8. Sunt autem, qui in decantando *Celtis* funere suas nenias contulerunt, hi quatuor:

Eobanus Hessus.

Lector ave, magni reliquum visure poetae,
Quo fuit in docto doctius orbe nihil.
Hac humili doctus requiescit *Celtis* in urna,
Quam merita luget musica turba chely.

Isiacus Trebelius.

Heu periit *Celtis* Germanae gloria terrae,
Qui primus nostro lauriger orbe fuit.
Defunctum vita doctae flevere sorores:
Celtica post struxit tristia busta cohors.

Margaritus.

Flete malos populosque rudes, et inania corda:
Possidet Elysios, credite, *Celtis* agros.
Non moritur tanti vatis pia Musa; sed omnes
Cantabunt serae posteritatis opus.

Pyrrhus.

Qui primus viridi cinxit sua tempora lauro,
Daedala *Conradi* carmina semper erunt.
Ambrosia fruitur, vel nectare *Celtis* odoro:
Et Ganymedea cum Jove vina bibit.
O quoties *Celti* domus est promissa Tonantis!
Hei mihi pro coelo qualia tecta patent!

r) Hisce neniis versiculos quosdam meos, quos juvenilibus annis luseram in *Celtis* mei obitum, adjicere, non incongruum plane visum est. Tu lector, quisquis es, quod bono animo communicamus, amanter accipe, et quod maxime te decet, voluntatem piam, studiumque in hominem patrio mihi amore conjunctum, aequi bonique consule.

In Con. Celtis tumulum.

Hac jaceo *Celtis* parva conclusus in urna:
Cui vivo totus vix satis orbis erat.
Et populos vidi, multas peregrinus et urbes:
Hospes ubique fui, nullibi civis eram.

Lassato demum, post tot discrimina rerum,
Sedem mansuram clara *Vienna* dedit.
Francia quem genuit, tenet alma *Vienna:* quiescam hic;
Dum tuba me summi judicis inde vocet.

De eodem ad sodalitatem litterariam.

Parcite, divini vatis turbare quietem,
Qui fuerat vestri duxque decusque chori.
Parcite luctisonis coelum replere querelis:
Sat querulis hymnis, sat lacrymisque datum est.
Vivit in aetherea *Celtis* felicior aula,
Et fruitur dapibus, Juppiter alme, tuis.
Nec liquit terras, fama super aethera notus,
Vivit et in scriptis, discipulisque suis.
Donec erunt homines, quibus est bona Pallas amori;
Celtis inextinctum nomen in orbe manet.

CAPUT XLII.

MORES, ET APOPHTHEGMATA *CELTIS.*

De iis, quae *Celtis mores* attinent, testes habemus, qui propius eum noverant, sodales litterarios, vitae illius scriptores. Paucis, more suo, rem complexi: *Erat*, inquiunt, *solis, nemorum, montium, peregrinationum, balneorum, conviviorum, et utriusque musicae pertinax amator. Amicitiae, et favoris studiosissimus, et cui nulla ad audiendum doctos viros longa aut difficilis fuerit via. Omnium antiquitatum studiosissimus inquisitor, et admirator. In verbis et moribus lenis, et suavis; sed in iram praeceps, et non facile placabilis. In reliquis animi motibus sedatus et generosus. Quos amicos semel accepit, nunquam suo vitio perdidit.* Unum fere in sodalium hac narratione desideraveram, incorrup-

tum videlicet *Celtis* animum in colligendis codicibus antiquis. Non enim nisi justo titulo eos sibi vindicandos putavit, nimirum donatione, emptione, vel permutatione aut commodato, quos redderet, posteaquam usus fuerit; quemadmodum elucet non solum ex epistola ad *Fridericum* Saxonem *a)* verum etiam ex ejus testamento: *b)* secus ac solent fures librarii, qui cultello *Flaciano* secant, lacerant, rapiunt, quod remoto arbitro possunt. Sunt, qui poetam nostrum arguunt vitii prodigalitatis, *c)* iniqui animi, odiique adversus homines ordini ecclesiastico adscriptos. *d)* Styli spurcitiam, *e)* vitaeque immoderatioris consuetudinem quis probet? *f)*

Loco huic haud importune duximus adjicienda esse *apophthegmata*, hoc est, egregie dicta, quibus familiariter usus est *Celtis.* Exprimunt enim id genus axiomata animum, indolem, eorumque mores, quibus crebro in ore sunt. Decerpsimus ex multis pauca: *Nemo*, dicere solebat, *vivit, cui non contigerit stultitiae pars aliqua. Nulla cognitio difficilior, quam sui. Ea solida est voluptas, quam nulla poenitudo sequatur. Conveniens est philosopho, pessimis displicere. Praebent histrionum speciem, qui habitu tantum profitentur religionem et philosophiam. Amans et invidus gestant in se supplicium. Philosophum decet, passiones suas frangere. Vivus vivis prodesse debet. Non quomodo vivendum; sed quomodo moriendum, cogitandum.* g)

a) „Pulcherrimum est, inquit l. c., homini Germano, et laudi toti Germanicae na„tioni: siquis amore litterarum et patriae peregrinationes susceperit; et quaecun„que exemplaria vetera, Graeca aut Latina, dono, commutatione, vel mutuo, „aut numerata pecunia conquirere possit, illaque impressioni mandare: et dum „illa impressa, aut transscripta fuerint, cum usura in loca sua, et coenobia „revertantur."

b) Diligentius cavit suo in testamento, ut cuique tribueretur suum, voluitque, ut codices, quos commodato acceperat, deposueratque *Augustae* apud *Conr. Peutingerum*, ad loca, unde erant, reverterentur; ceteri autem, qui sui erant, mitterentur *Viennam*, bibliothecae facultatis artium aggregandi. *Peutingerus*, qua erat animi integritate, testatoris voluntati obsequens, haec *Chalcidio* suo adscripsit: *Habuimus annis superioribus plerosque libros charta pergamena scriptos, quos Conradus Celtes Protucius, poeta Germanus, Latinus, elegans et eru-*

ditus apud nos deposuit: demum universitati Viennensi in archiducatu Austriae testamento suo plerosque ex his legavit, quos et nos pia, et optima diligentia restitui curavimus etc. Conf. p. 55. *Hist. Conr. Peuting.* ed. *Veith.*

c) Ut nihil dicam de aere alieno, quo saepe erat gravatus, velut ex amicorum epistolis patefit; satis sit ex *Georgii Zingelii* Ep. ad *Celtem* an. 1497. *Ingolstadio Viennam* ad eum data, pauca huc transferre: *Siquid ergo*, monet theologus Ingolstadiensis, *in te est, quod hominibus, quibuscum antea conversatus es, displicuit, hoc caute emenda. Non sis prodigus. Liberalitas in te multum declinat ad prodigalitatem. Multis hic ventrem replesti, qui parum amore te prosequuntur. Omnes fuerunt amici mensae, ut tu optime nosti. Sis ergo de cetero circumspectus etc.*

d) Cum legerem, quae *Clementius*, bibliographus Gallus, labore improbo collegit ex carminibus *Celtis*, quibus homines ecclesiasticos, a recto ordine devios, lacessivit, in mentem venit illud poetae:

Eheu quam niger es! dicebat cacabus ollae.

e) Ad excusandas carminum lascivorum sordes multa congerit, adducitque *Celtis*, in praefatione ad *Maximilianum* libris Amorum praefixa. Asserit, pauca esse spurca, quae suis in carminibus occurrant; et siqua sint, non esse aliena a poetices legibus: ne esset oratio sterilis, jejuna, arida. *) Addit, quae a poetis efferuntur, saepe non ex mente propria, sed ex hominum stultorum ore proferri, tanquam fugienda, reprobandaque prudentum judicio. Hinc sperare se dicit, deterreri adolescentes, si intellexerint, in quot et quanta mala praecipitet foedus, indomitusque amor. In rei confirmationem provocat ad divinarum adeo scripturarum auctoritatem; seque sub scuto philosophiae tutum esse confidit, cujus sit, notare mores, et describere humanos affectus, quos inter potentissimus est amor. Unde de se canebat:

Hos non spurcus amor jussit me scribere versus;
Affectum et mores philosophia notat.

*) Peraeque suas, ut vocat, *ineptias*, excusat *Catullus* XVI. 5.

Nam castum esse decet pium poëtam
Ipsum, versiculos nihil necesse est,
Qui tum denique habent salem ac leporem,
Si sunt molliculi, ac parum pudici.

Eadem opinione videntur imbuti fuisse poëtae veteres plerique, cum *Catullo Tibullus, Propertius, Ovidius, Horatius, Juvenalis, Martialis* etc. quorum vestigia etiam poëtae Christiani naviter persecuti sunt, iique aut aequales *Celti*, aut certe ab ejus aetate parum remoti, velut *Poggius Florentinus, Coccius Sabellicus, Hieronymus Balbus, Udalricus Huttenus*, alii. Verum enim vero

Castos quis putet ac pios poëtas,
Qui versus faciunt parum pudicos? R.

f) Si vera sunt, quae *Celtis* ipse de se retulit; frustra sunt, qui cum *Joanne Hornburgio* eum defendendum susceperunt. *Multi sunt*, inquit *Hornburgius* in praefatione ad *Christoph. Hegendorphium*, duabus *Celticis* elegiis Lips. 1520. praemissa, *Multi sunt, qui Celtem doctissimum spurcae libidini usque adeo indulsisse blaterent, ut poemata sua aliquando liberiore genio scripserit. Quos hic ad partes vocarem, si epistolaris ratio pateretur. Audivi ego plerosque, qui cum Celte conversati sunt, sic de eo mentionem facientes, ut qui vitae humanissimae fuerit, vir facetus, hilaris et comis, cum sodalibus pecunias, et res leviculas egregie et larga manu consumpserit; id quod Jacobus Philomusus, Celtis olim discipulus, praceptor meus doctissimus apud Ingolstadienses, saepius de eo meminit. Desinant igitur malevoli homines Celtem pejoris vitae fuisse, ex scriptis ejus redarguere.* Unum duntaxat est, quod in defensionem *Celtis* adjungere possumus, eum videlicet, erronea ductum persuasione, non reputasse, noxia esse, quae scriberet. Alioquin, quemadmodum suo testamento praescripsit, ut quaecunque suis in carminibus famae aliorum viderentur officere, emendarentur, tollerentur: ita pari, aut severiori lima utendum esse constituisset, in corrigendis expungendisve iis, quae morum, aut vitae integritati obsunt.

g) *Celtis apophthegmata*, sive *dicta*, ut vocantur, *memorabilia*, indicantur quidem in codice *Norimbergensi* poematum *Celticorum* manu exarato, quo usus quondam erat *Celtis*; at nunc in illo desiderantur, injuria temporum, hominumve ignorantia aut barbarie mutilato codice, evulsis quibusdam foliis. Memini praeterea, conspexisse me, ac legisse eadem *Celtis* apophthegmata, translata in linguam theodiscam, quae una cum aliis doctorum aliorum dictis memorabilibus excusa comparuerunt typis Argent. in 8. Quicunque cetera *Celtis* apophthegmata nosse percupit, consulat in *appendice* illius vitam, adornatam studio sodalitatis litterariae *Rhenensis.*

CAPUT XLIII.

DE C. *CELTIS* RELIGIONE.

Erant, qui in eruditorum hominum indaganda religione non inutilem sibi operam lusisse videbantur. Horum in censum veniunt *Henricus van Seelen*, qui disquisitionem vulgavit de religione *Hadriani Turnebi*; *Affelmannus* de religione *Philippi Melanchthonis*, *Kettner* de *Cartesii*, *Fabricius* de *Erasmi*, *Wernsdorfius*, aliique de aliorum doctrina celebrium virorum religione scripserunt. Quae *Celtis* fuerint de religione sensa, non convenit inter omnes. Male audiit, *Pragae* cum ageret, violatae religionis accusatus, quod carperet ritus *Calixtinorum. a) Ingolstadii*, cum litteras profiteri coepit; in suspicionem incidit, quasi de *Confessione*, et *Communione* non recte sentiret. *b*) *Viennae* cum doceret: latius sparsus est rumor, volavitque Rostochium usque, *Celtem* esse idololatram, ac sentire *Phoebum*, *Mercurium* etc. divinis honoribus esse prosequendos. *c*) His accedit accusatio theologorum *Viennensium*, qui in *Celtis* odis invenisse sibi visi sunt propositiones *haeresin sapientes. d)* Damnasse *Celtem Missam*, *Purgatorium*, et *Sanctorum Invocationem*, proptereaque *excommunicatum* tradit *Flacius Illyricus*, in *catalogo testium veritatis. e*) His similia referunt *Budaeus* in *Thanatologia; f)* et *Backius comment. in psal.* CII. g) Tandem negari haud potest, *Celtis* nomen inter damnatae memoriae auctores *primae classis* legi in *Indice librorum damnatorum. h)*

Atque haec sunt praecipua accusationis capita, ob quae incurrisse *Celtis* dicitur violatae religionis crimen; quibus quidem ordine breviterque respondemus, ut palam fiat, quam sint sublestae fidei, quae objiciuntur.

Quantum ad *Pragensium Calixtinorum* illam expostulationem, nemo est, qui non percipiat, alienam eam esse a scopo. Quae *Celtis* apud *Pragenses* adversus communionem *sub utraque* dixit, scripsit, sermonis aut styli moderationem desiderant, non autem postulant proditae religionis reum.

Quae *Ingolstadii* quidam aemuli commenti fuerant, quasi a *Confessione*, et *Communione* abhorreret *Celtis*, ut eum arcerent a capessendo munere professoris; velut par est, ac suo quodam jure retudit *Adorffius*, ecclesiae *Ingolstadiensis* antistes, unaque professor theologiae in eadem academia. Qua quidem sublata calumnia, docendi provinciam, Principis auctoritate sibi demandatam, necquidquam ringentibus adversariis, bona fide *Celtis* obiit.

Non minus antiqua, quam inanis est illa querimonia, qua *Viennae* petebatur *Celtis* nomen, *idololatriae* causa. Quod convitiandi genus quam sit iniquum, dudum ostenderunt ex sanctis patribus *Basilius* praecipue, ac *Hieronymus*. Tam crassam calumniam indicasse, refutasse est.

Quid sit de lite intentata odis *Celticis*, post auctoris decessum; nunc satis sit adnotare, censuram illam *Viennensium* theologorum fuisse *vagam*, eosdemque ab ea lite continuanda, urgendave, ut videtur, sponte destitisse, qua de re redibit sermo plenior *Lib. II. cap. XXI.*

Quae a *Flacio Illyrico*, *Budaeo*, *Backio* commemorantur de damnata *Missa*, negato *Purgatorio*, et *Sanctorum Invocatione* rejecta, proptereaque *Celtem* fuisse percussum anathemate: commentitia sunt, et conficta sine teste, sine tabulis, sine consule, destituta omni probatione idonea, eademque facilitate negantur, qua asseruntur. Facile foret, tum ex *Celtis* carminibus, tum ex ejus testamento luculenter demonstrare, eum dicta dogmata non negasse. *) Sed in re manifesta nolumus esse verbosi.

Equidem in *Indice librorum damnatorum Madriti* pag. 194. inter damnatae memoriae auctores primae classis legitur: *Conradus Celtes, seu Celtis Protussius, seu Protucius Francof.* (pro *Francus*) *German. poeta, et cosmographus;* at cum nulla sit facta mentio pravi dogmatis, quo sacrum hunc

ostracismum promeruerit, neque nominatus sit liber, qui errores fidei oppositos complectatur, auctoritate dicti Indicis non movemur; maxime, quod compertum habeamus, dari causas alias, quibus adducti Inquisitores fidei nigrum theta vel libris vel auctoribus inurunt. Ejusmodi maculam effugere haud potuerunt cum Card. *Norisio* viri apprime orthodoxi.

Superstitione astrologica laborasse *Celtem*, inficiari nolumus. Id vero tribuendum vitio temporum, quibus vixerat. *i*) Haerebat in eadem haeresi *Philippus Melanchthon;* uno fere prae omnibus illi contagioni adversante *Jo. Pico Mirandulano. k*)

a) Quam audacter, Pragae cum esset, sugillaverit *Calixtinorum* ritus, et in episcopum Pragensem *sub utraque*, ut dixerunt, luserit, aperte ostendunt, quae *cap.* XXII. h. lib. commemoravimus.

b) Recole, quae eam in rem adduximus cap. XXIV.

c) Scribebat anno 1500. *Christophorus Pontanus Syndicus Brunsvicensis* ad *Celtem*, volare famam de ejus idololatria.

d) *Lib.* II., ubi de *odis Celticis* notitiam dabimus, ea de controversia pluribus verbis referemus *cap.* XXI.

e) *Conradus Celtis*, inquit *Flacius Illyr.* l. c., *homo doctissimus, floruit Viennae ante 60 annos. Intellexi ex fide dignissimis, rerumque ac vitae ejus non ignaris* (quam vage!) *damnasse eum Missam, Purgatorium, et Sanctorum Invocationem; eoque eum nunquam publica sacra, seu Missas frequentasse; atque eam ob causam, excommunicatum, excommunicationemque contempsisse.*

f) Pari praefidentia, scribebat *Budaeus* l. c. ad an. 1508. *Fama est, Celtem a Romano pontifice a coetu fidelium fuisse remotum; quod Invocationem Sanctorum negaret, et abhorreret a Sacrificio Missae.*

g) Eadem levitate cantilenam eandem canens *Backius* c. l. inquiebat: *Conradus Celtis, ante plus quam 60 annos Viennae florens, adeo Missam sprevit, ut propterea sit excommunicatus.*

h) In Indice librorum prohibitorum *Romae*, *Celtis* nomen non occurrit. Unde colligendum est, inquisitores *Hispanos Romanis* esse oculatiores in indagandis, inveniendisque errorum, aut haereseon monstris.

*) Quin imo non fuisse ejus animum a variis superstitionibus liberum, apparet ex supra dictis *cap.* XXX. R.

i) Quicunque in lectione scriptorum illius aetatis peregrinus non fuerit; sentiet, vano illo astrologicae superstitionis studio plerosque ductos fuisse, abreptosve. Quae fuerint hac de re *Melanchthonis* sensa, satis produnt ea, quae habet T. II. praef. in *theoriam nov. Planetarum Purbachii.*

k) Quam late Sec. XV. grassata fuerit maxime noxia haec superstitio, declarat in fine operis amplissimi *adv. astrologiam Joannes Picus: „Astrologia,* inquit, fraus est omnium pestilentissima, quae philosophiam omnem corrumpit, „medicinam adulterat, religionem infirmat, superstitiones parit, aut roborat, „idololatriam fovet, prudentiam aufert, polluit mores, coelum infamat, homines miseros, anxios, et infortunatos facit. Quod cum ego exploratum „haberem: putavi piaculum me facturum, si tacerem, hac praesertim aetate, „qua omnis aetas, et ordo, sexusque caligat etc." *)

*) *Joannem Picum, Mirandulae et Concordiae Comitem* (nat. 1463. ⊖ 1494.) *Vossius de scient. math.* c. LXIII. §. 24. *cum Picus diceretur, vere ingeniorum sui saeculi Phoenicem fuisse,* jure observavit. Ejus opera omnia edita sunt Venet. 1498. Argent. 1504. Basil. 1557. 1573. et 1601. fol. In magna scriptorum copia, quae recenset *Fabricius Bibl. lat. med.* Tom. IV. pag. 334 – 341. locum undecimum obtinent: *Contra Astrologos sive in Astrologiam divinatricem disputationum libri XII.* R.

CAPUT XLIV.

C. *CELTIS* PROSOPOGRAPHIA, IMAGINES ET INSIGNIA.

Ut ne demum reticeamus, quo fuerit oris, vultusque habitu, ex biographia *Celtis* breviore, descripta per sodalitatem litterariam, transscribimus, quae huc faciunt: „Statura, inquiunt sodales biographi, erat medio„cri, corpore obesiore, facie clarissima, candentibus oculis, et grandiuscu„lis; ore decoro, pilo leni, raro et subnigro, et circa tempora parum renodi; „barba rara, et ejus praecoci canitie, et frontis calvitie; animo et mente „hilari, et vultu gelasino, valetudine prospera, sed imbecilli stomacho." His lubet adjicere, quae in codice epistolari msc. in eandem rem habet *Theodoricus Rhenanus*, ex monasterio *Zwettel* ord. Cist. hunc in modum de *Celte* scribens: *Virili amictus toga, facie oblonga, lynceis oculis, purpurea caesarie, habens longis digitis manus candidissimas, vultu ad risum composito cum aliqua capitis inclinatione.*

Decem *Conr. Celtis* imagines commemorat G. W. *Panzerus* p. 31. *Verzeichnisse von Nürnbergischen Portraiten.* Norimbergae 1790. 4. refertque hoc ordine:

1) *Conradus Celtis*, coram principe electore Saxoniae, *Friderico Sapiente*, in genua provolutus, eidem offert opera *Roswithae*, fol. ligno incis.

2) Idem poplite flexo, *Maximiliano* I. Imperatori tradit libros *Amorum*, additis inferius verbis: *Qui maledicit principi* etc. 4. ligno incis.

3) *Idem*, nomine non expresso, supra: *Exitus acta probat.* Infra: *Flete pii vates* H. B. ligno incis. 4.

4) In margine inferiore: *Conradus Celtes Protucius* P. L. C. et Professor Vienn. nat. 1. Febr. 1459. den. die 3. Febr. 1508. *Joh. Jac. Haid* excudit *Aug. Vind.* aeri incis. (Schwarzkunst) in *Jacobi Bruckeri Ehrentempel.* 4.

5) Idem. *Conradus Celtis Protucius, Germanus, primus poeta Imp. manibus coronatus.* I. F. L. F. 4. aeri incis. (Schwarzk.)

6) Eadem tabula, *Conradus Zeltes* (sic) I. F. L. F. 4. aeri incis. (Schwarzk.)

7) Eadem tabula: *Celtis.* Post vocabulum *coronatus*, haec leguntur: *Norimb. An. 1487. Nat. An. 1459. denat. 1508.* I. F. L. F. 4. aeri incis. (Schwarzkunst.)

8) Infra: *Conradus Protucius Celtes, eximius poeta, et de historia Germanica optime meritus, nat.* etc. *denat.* etc. 4.

9) Idem. Infra: *Conradus Protucius Celtes, optime meritus, nat.* etc. *denat.* etc. 4.

10) Idem. Infra: *Conradus Celtes Poeta excellentissimus* 12. ex *Freheri Theatro.*

Panzerianae huic collectioni addimus ex penu nostro *Conr. Celtis* imagines sequentes:

1) Supra: *Conr. Celtes. Conr. Peutinger.* Singuli singulis inclusi orbicularibus figuris. Infra comparent varii generis instrumenta litteraria, libri, nummi etc. *lign. incis.* 8.

2) *Nummus aeneus symmetriae* *Celtis.* Pars una exhibet *Celtis* vultum, adjunctis verbis: *An. vitae XLVIII.* Pars altera refert hoc pentametron:

ADDE SONVM
VOCIS CELTIS
IS ALTER
ERIT
M. D. VII. vgl. unsern Kupferstich Burgkmairs Reichsadler

3) *Conradus Celtis poeta laureatus.* Quae verba in libro, quem prae se habet, conspiciuntur. Est imago haec praemissa syllogae odarum *Celticarum* Arg. 1513. 4.

4) *Conradus Celtes poeta laureatus.* Instrumentum astronomicum tenens dextera, cum promissa barba, visitur in *Henr. Pantaleonis prosopographia* pag. 572. P. II. Germ. edit.


5) Idem Infra: *Conrad. Celtes wird von dem Kaiser Fridrich III. als Dichter gekrönt.* Imperator magna Principum corona stipatus, *stans* poetae, qui mensae *assidet*, coronam lauream imponere conspicitur. *Pictoribus atque poetis* etc.

6) Supra: *Conradus Celtis;* nitide incisus aeri, atque inclusus orbiculari figurae. Imago haec *Joannis Dalburgii* biographiam, quae proxime lucem videbit, ornatura est; velut me per litteras edocuit *G. W. Zapfius*, ejusdem editor, qui hanc iconem munusculo litteris adjunxit comitem. *)

*) Videtur *Zapfius* mutasse id consilium; neque enim *Celtis* effigiem in illa *Dalburgii* biographia uspiam reperire est. R.

Neque tandem sunt praetereunda *Conradi Celtis* insignia, quae tum in ejus libris, tum in quibusdam illius imaginibus occurrunt. Solebat *Celtis* notare suos libros hunc in modum:

Con. Celtis Pro. Poete sum.



παρεστω Φρονησις. *)

Consideratis *Celtis* insignibus, ne asymbolus abiret septuagenarius poeta, non potuit, ut senes loquaces sunt, quin hoc adderet epigramma:

In tres Stellas Conr. Celtis.

Celtis semper eras triados studiosus amator:
Hinc ornat clypeum Stellula trina tuum.
Nomina stellarum, qua quaevis sede moratur,
Doctus es, et digitis annumerare potes.
Nec te, *Celti*, fugit, quae sint nova sydera coelo,
Aut quae de solita jam statione migrent.
Astrorum nosti synodos, variasque choreas;
Noscis, ubi sydus detve, negetve jubar.
Astrorum cum tantus amor tua pectora tentat,
Non sinis a clypeo sydera abesse tuo.

Quae in Codice msc. *Norimbergensi* operum poeticorum *Celtis*, ejus insignibus subscripta sunt Graeca: *παρεστω Φρονησις*, videntur constituisse

*) Hoc *τυπῳ* primas litteras quatuor nominum (*Conradus Celtis Protucius Poeta*) indigitari, satis, credo, manifestum est. R.

illius *Symbolum;* quod mutuasse censetur ex *Juvenalis* versibus postremis satyrae X.

Nullum Numen habes, si sit prudentia; sed te
Nos facimus, *Fortuna*, Deam, coeloque locamus.

Symbolo *Celtico* lubuit subtexere quosdam versiculos, quibus primo huic libro finem imponimus:

De Celtis Symbolo: παρεστω φρονησις.

Nil temere peragas; *adsit prudentia* coeptis,
Vatis ut Almanni gnoma Pelasga docet.
Circumspecta regit coecam *prudentia* sortem:
Et, *Fortuna*, tuo Numine majus habet.
Quam coelo posuit Divam stultissimus error,
Deridet, quisquis cum ratione sapit.